Manuductio ad medicinam in Academia Marpurgensi studiosae juventuti ante annos vicenos primum praelecta / à Jo. Daniele Horstio.

Contributors

Horst, Johann Daniel, 1616-1685.

Publication/Creation

Ulmae : Typ. & impens. Balth. Kühnen ..., 1660.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/hjpstqsz

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

D.
6.2.

A 72

W

4

ROYAL ARMY MEDICAL COLLEGE
LIBRARY
No. 5745

Med. Sec

TRD
Strongroom
RAMC
Coll.
/HOR

2210194877 3

Stockholm in
December 1736
Ro Leur 1 Cl. 4:t Rappt

R. B.

Invented by
M:r Swan Pehlman

Red
28 May 1837

IO. DANIELIS HORSTII MANUDUCTIO ad MEDICINAM.

ULMÆ, apud Balthasar Kühnen.

Explicatio Tituli.

Hygéa sum; quid dulcius dici potest?
Sol Orbis, urbis lumen, & pagi decus,
Rerumq; dicor singularum faustitas:
Nam quicquid est in singulis dulcedinis,
Ex me venit, bonique sum perfectio.
Sine me nihil sapit. Ceres fame perit,
Merumq; Bacchus odit, & friget Venus.
Hinc Dî Deæq; me colunt in regiâ
Hâc sede collocatam; adest Ceres, Venus,
Pomona, Liber, & Thetis cum piscibus,
Cum lactis atq; copiâ Pales venit.
Sed quis labor, quæ cura me demulceat,
Et quâ queam ratione reparari, breves
Tenuis libelli paginæ paucis docent.

B. F.

MANUDUCTIO AD MEDICINAM,

In

ACADEMIA MARPURGENSI STUDIOSÆ JUVENTUTI ANTE ANNOS VICENOS PRIMUM PRÆLECTA,

à

JO: DANIELE HORSTIO,
Medicinæ t.t. ibidem Professore.

EDITIO QUARTA

Novis Recentiorum inventis & observationibus aucta.

D.
6.2.

ULMÆ, typ. & impens. BALTH. Kühnen/
Reip. ib. Typogr. & Bibliopolæ, 1660.

STUDIOSO LECTORI.

DOcilis juventa, quæ per impotens fretum,
Lacusque vastos Pergami quæris viam,
Ad Æsculapi tuta quæ portum ferat,
Ambage multa, syrtiumque flexibus
Tot impeditam, & abditis salo vadis.
Ni turbidis rumpenda ventis linteа,
Ni debiles ultrò carinas, & sinus
Præbes furenti sauciandos Africo,
Magno velocis temporis dispendio
Magnoque vitæ, fluxa quam carpit dies.
Ad HORSTII triones, atque Helicen mei
Converte cursum, & Optimum specta ducem.
Qui Te volanti concitatam palmula
Nec atque spissa lucidam accendens Pharon
Sacris Hygiæ sedibus sistet lubens.
Implet paterni nominis cui gloria
Pectus, Coiq; prompta senis fontibus
Præcepta summum seculi spondent decus.
Non usitato Fama quem præconio
Seris perennem buccinabit posteris.

Observantiæ argumento f.

Johannes Veslingius Mindanus
Eques Hieros. Anat. & Chirurg.
Prof. P. Patavinus, 1638.

Sereniſſimorum

HASSIÆ LANDGRA-
FIORUM

Pari Florentiſſimo,

DOMINO

WILHELMO,

ET

DOMINO

GEORGIO,

Principibus & Patriæ
Patribus Clementiſſimis,
Optimis, Maximis.

FFero Vobis, Auguſti Principes, quod jam Veſtrum eſt, partum nempe Academiæ Marpurgenſis. *Cum enim Alma iſthæc ſtu-*

diorum Nutrix ab Abavo Vestro Philippo Magnanimo *olim conducta, & à Vobis Vestrisq; Majoribus conservata, in* Professorem Medicinæ *me ante annos vicenos seligeret,* studiosæ Juventuti *ibidem* Manuductionem *hanc aliquot annis exposui, eamq; denuò recusam devotè ad pedes Vestros depono, cum voto, ut clementi suscipiatis manu, mihiq; favere pergatis, uti* Vestri Majores *meo* Parenti, *meo* Avo, Proavo, Abavoque, *Vosq; mihi clementer hactenus favistis.*

Sereniss. Cels. V. V.

subjectiss.

J. D. Horstius.

Ad

I.

Ad Nobilem, Clarisſimum & Experientisſimum VIRUM,

Dn. Jo: DANIELEM HORSTIUM,

Phil. & Med. Doctorem, Sereniſſimi Principis ac Domini Dn. GEORGII, Haſſiæ Landgravij, &c. Primarium Archiatrum, *ac in Academia* Giſſena Profeſſorem *Medicinæ meritiſſimum & Celeberrimum, Amicum & Compatrem ſuum ſingulariter dilectum & honorandum.*

CLare Vir, ante alios *Horſti*, cui magnus Apollo
Ipſe ſuas artes, donaque tanta dedit.
Quem non obſcurant Podalirius atque Machaon,
Ornat quem fauſtæ nomen honosque manus.
Quem decus Imperij, columenq; *Georgius* ingens,
Princeps *Haſſiaci* gloria celſa ſoli;
Atque alii paſſim *Proceres* dignantur amore,
Poſcentes artis ſæpe potentis opem.
Ergone carmen aves noſtræ tibi habere Camœnæ
Quod doctis poſſit forte placere viris?

Nunc, ubi Mars toto fremit & furit impius orbe,
Quâ Phaëton ducit, quâque reducit equos?
Bellorum horrendis cum cingitur undiq; flam-
Et patitur diras patria terra minas? (mis,
Cum capite Imperium ac viduatum Cæsare luget,
Octovirûm curas auget & ordo suas?
(Ah! merito Patriam, Christo duce & auspice Christo,
Maturâ fessam sponte juvatis ope:
Cuncta sed interea luctuque metuque tenentur
Venturisque tremunt territa corda malis.
Crede mihi, lætos exposcunt carmina vultus,
Dicuntur vacuæ carmina mentis opus.
Quin etiam gravis officij me sarcina pressat,
Ad juga Parnassi me penetrare sinit.
Non tamen omninò renuam, aut diversus abibo,
Non ea mens nobis, sed brieve carmen erit.
Ergo, *Horsti*, docilis dum lætus amore juventæ
Evulgas libros, munera rara, tuos.
Dum pulchris Medicam formas compagibus artem
Atque orbi ante oculos nobile ponis opus.
Rem facis egregiam, Cedroq; & carmine dignam
Divino, laudis sit Maro Præco tuæ.
Macte animis *Horsti*, Te nomen honosq; manebunt,
A sera grates posteritate feres. (bunt,

PHILIPPUS LUDOVICUS FABRICIUS, J.U.D. Com. Palat. Cæsar. Sereniß. Principi Dn GEORGIO, Hassiæ Lundgrafio, à Consiliis secretis & Cancellarius, gratulabundus deproperabat Kalend. Decembr. 1657.

II.

In Lepidissimam Manuductionem
ad Medicinam,

Cl. Viri ac Excellentissimi

Dn. D. JO: DANIELIS HORSTII, Professoris Primarij Gissensis Celeberrimi,

ELOGIUM.

ACcurrite. Festinate. Advolate.
TYRONES
undique.
Accurrat ex universo Literatorum Orbe
Quisquis
Sacra Apollinis Oracula
Magni Epidaurici delubri
penetralia
Cupit
scire, perdiscere, perlustrare, penetrare.
En
Vobis hodie
Tyrones
CENTAVRVS GISSENSIS XEIPON
Ludum aperit
Manuductionem iterum exhibet
filum verè Ariadneum
quo
nil fidelius, nil securius.
Exhibet
puram, eglomeratam, exossatam,
omnibus numeris absolutam.

Quâ
nil facilius teneris mentibus efformandis
nil clarius, nil præclarius.
Hâc
Magnus ille XEIPON
HORSTIVS DANIEL,
Magni GRÆGORI, GREGORI Inclyti
illustris
Filius Frater
Orbis literarij
Magnates omnes, Magnetes
ac
in Naturæ Oceano veræ Manuductrices Cynosuræ,
sed horum Vnus
Valida Vrsa DANIEL
Tyronum informes fœtus
hâc manuductionis suavi linguâ
Lambit, polit, vivificat, perficit.
Accurrite igitur & Advolate
Tyrones undique
festinate
XEIPONEM Vestrum pro tanto Dono
applaudere, acclamare,
percelebrare,
quem
Nata Sagax ac Erudita
OCYRRHOES
fatidica, veridica
Veloci cursu, discursu celeri
accurrit ac collaudat
& præscia rerum & fatorum gnara
Magnum DANIELEM
Sacrum Gissæ- Epidauricum Draconem
Vniverso Orbi summè profuturum
prænunciat, pronunciat,

Accur-

Accurrite igitur festinate, advolate
Tyrones undique
&
DANIELIS
Divinum judicium & in veteri ac
novo Literatum Orbe
Doctâ Manu, perspicaci Oculo
Circundando ac perlustrando
solertiam
Admiramini.

Petrus à Castro D.M.Ph.

In amoris & obsequij testimonium
Posuit Veronæ 27. Martij, 1659.

III.

NObilis Juventa, numen quæ salutis degeris,
Semitamq; ad ejus ædes rectà euntem quæritas,
Sed pabescis per tenebras spissiores ingredi,
Tota queis sic occupatur ut negetur visibus:
Horstium *Tibi fidelem Chiragogum deligas,*
Horstium, *recentiorum flosculum Machaonum,*
Eruditum, perspicacem, luminis plenissimum,
Blandiùs quo, tutiusq; nemo te ductaverit!

In sui cultus monimentum
adscribebat

CAROLUS SPONIUS, M.D.
Monspel. Consiliarius & Medicus Regius, Collegio Med. & Profess. Lugdun. Aggregatus.

IV.

QVi vetus atque novum profert è divite cornu
Ingenii, doctis perplacet ille viris;
Tu quædam veterum limas, quædamque recẽtum
Hinc & te mento, menteque cautus amat.

Ita ait

Autoris Cognatus

D. Johan-Daniel Dietz-rich, inclytæ Reipubl. Ulmensis Medic. ordin. juratus.

V.

VIta fugax; subitò nos morbus tangit & angit,
Et subitò officium languida membra negant.
Mox nos mors vocat ad Polyandria vestibus atris,
Et vitam sperans contumulatur humo.
Sed mala tanta levat Medicorum cura, docendo
Innumeris herbis amplificare dies.
Hoc verò studium Medicum doctèq; beneq;
Tractare incipiens quâ ratione queat.
Præsenti libro monstras, Charissime Frater,
Præscribens Methodum, quam probat ordo Sophûm.
Hanc observantes dicent, Tibi *fama perennis*
Sit, maneant laudes, nomen, honosq; tuus.

Debitæ observantiæ & amoris
E. f.
GREGORIUS HORSTIUS,
Ph. & Med. D. ac in Gymn. Ulmens. Phys. P.P.

Cum

CUM DEO.

MANUDUCTIONIS AD MEDICINAM

PROOEMIUM.

I. *Medicina* est Ars humano Corpori sanabili benè medendi.

Medicina Ἰατρικὴ, aliis dicitur à *medendo*, quod ægris ferat auxilium & sanet: aliis à μήδω, μηδέω. *Nos* nolumus γραμματίζειν. *Genus* Ars est, non *scientia*, (loquamur ἰδίως) & nobilissima quidem Ars, nec *Conjecturalis*. *Ars* est, quia habitus est cum rectâ ratione effectivus; *Conjecturalis* verò non est, quia vera habet theoremata, non lubrica aut conjecturalia. *Differentia specifica* desumta est

ab objecto *Humano corpore sanabili*, & *fine*, qui consistit in bene medendo. Clar. *Plempius* definit Medicinam, *quod sit Ars, quâ viventis corporis affectiones dignoscuntur, quatenus sanum est & à sanitate abscedit, ut valetudo præsens conservetur atque absens restituatur.*

Atqui *Corpus vivens* non est objectum adæquatum, teste ipso *Plempio*, qui toto volumine ne verbo tangit quidpiam, quod vivens respiciat corpus. Omnia directa sunt ad solum corpus humanum, ut meritò debitum ipsi exprobret *Mœbius Inst. Med. lib. 1. c. 2. §. 20.* Viventis Corporis affectiones dignoscere Physici est principaliter. *Dignotio* insuper in artibus an non præsupponitur & προγνώσει tractatur? Sani autem non indigent Medico, sed ægroti. Neque communis illa *Hygieine* peculiarem constituit partem, ob *Laurembergii* argumenta non ficulnea, non forensia, sed satis robusta.

Speculativæ & Practicæ Disciplinæ non sunt confundendæ, nec κοινῶς loquendum est. *Sennertum* quidem *Plempius*

pius & *Kyperus* reprehendunt, quod non admittat divisionem Medicinæ in *speculativam* & *Practicam*. Illam remotè, hanc proximè ad praxin ducere scribunt, illam continere conclusiones : v. gr. Genera febrium sunt tria, novem sunt temperamenta, &c. Hanc verò merè practicas, v. g. in pleuritide vena secanda, &c. *Item* per Theoreticam partem Medicinæ intelligi posse eam portionem, quæ ex Physica desumatur : per practicam verò propriam Medicinæ partem, quæ in medendo occupata sit.

Sed planè hîc exulat ἀκρίβεια philosophica, planè exulat *acribologia* in frontispicio ostẽtata *scholastica*. Alia quidem est cõsideratio Medicorum in practicis, quâ usum, alia, quâ rationem. At nõ sunt separandæ, non sunt multiplicandæ disciplinæ. Nihil in practicis disciplinis habetur, quod non redoleat praxin. Omnia ad praxin etiam Conclusiones v. g. Genera febrium, &c. diriguntur. Latè, & si cum vulgo (ut Clarissim. *Sebitius* Ex. 2. doctè innuit) loqui velimus, mediorum explicatio θεωρία, eorundem

dire-

directio idealis ad uſum, πρᾶξις vocari poteſt. At ubi tum ἀκρίβεια philoſophica? Ubi ἀκριβολογία ſcholaſtica, quâ accurati libri fundamentorum Medicinæ olim proclamabantur?

II. Quoad *diviſionem Medicinæ* notandum eſt, commodiſſimam hanc artem ita exponi, ut ejus primò omnium tradantur *Præcognita*, poſt *Præcepta*, qui modus in Practicis doctiſſimis quibusvis Philoſophis ſemper viſus fuit optimus. *Præcognita* enim deducunt nos in cognitionem *finis* & *ſubjecti*, viamq; aperiunt ad *Mediorum* inventionem. *Præcepta* verò ipſa tradunt *media* ad *finem* obtinendum ducentia, eorumq; exhibent *adhibitionem*.

De diviſione Medicinæ in *Theoricam* & *Practicam* quid ſtatuamus, patet. Certè nec *Medicus praxin non exercens* dici poteſt Theoreticus, niſi καθ' ἕξιν ὡς,

Com-

Communiter aliâs dividitur in *Physiologiam, Pathologiam, Semeioticam, Hygieinam & Therapeuticam*, quæ quidem divisio, si non velimus loqui philosophicè, non admodum mala, cum videatur offerre ea, in quibus Medicina occupata est. Ast si loqui velimus non vulgariter, sed propriè, *Physiologia, Pathologia, cum doctrina signorum* non constituunt *partes* Medicinæ; cum *præcognitorum* loco tractari debeant, rectè & eleganter explicante Clarissimo *Calovio* Meth. docendi & disp. *pag. 194.* Quicquid enim de Corpore humano ejusque partibus, quicquid de sanitate, naturali constitutione & temperamentis, quicquid de Actionibus & officiis Corporis in *Physiologia*; Quicquid de morbi natura, differentiis, causis, effectibus & symptomatibus in *Pathologia*: quicquid denique de signis latentium in corpore affectuum in σημειωλικῇ differitur, id omne ad *Subjecti* & *Finis* Præcognitionem & anticipatam notitiam referri debet. Non itaq; propriè loquendo *sunt partes Medicinæ*, sed *Præcognita*.

PARS

PARS PRIOR, DE MEDICINÆ PRÆCOGNITIS.

Πρόγνωσις Medica duobus absolvi potest capitulis: *Primum* est ἀνατομικὸν, alterum παθολογικὸν. Hoc pacto uti fas est, Medicinæ Studiosus *subjecti* & *finis* cognitione quàm optimè animum imbuit. In practicis enim disciplinis *subjectum*, cui insinuatur finis, & *finis* ipse insinuandus *præcognosci* debent, vix enim *lienem*, ac ne vix quidem curabit, qui ignorat *lienis* fabricam, ipsiusque *sanitatis* introducendæ naturam.

CAPUT

CAPUT I.
DE
MEDICINÆ SUBJECTO.

SUbjectum Medicinæ *Corpus* est *humanum sanabile*, quod ipsum cùm variis particulis constet maximè *earum* ut & *principiorum* ratione à Medico considerandum.

Plempius, licet fassus fuerit Artem esse Medicinam, paginâ tamen 4. objecti scientifici conditiones recenset, & ad illarum naturam tanquam Polycleti statuam objectum eruere conatur *Corpus vivens*. Hoc Medici est Philosophi ad omnium viventium corpora (*inquit*) considerandа transgredi: Hæc ex propria animi sententia, &c. *Idem* ipsi videtur *Objectum Operationis* & *Objectum Demonstrationis*. Physicæ denique Medicinam subalternari scribit ex *Laurem-*

rembergio, tam objecti, quam principiorum ratione.

Quod ad *primum* attinet, notandum, summum discrimen esse inter illa objecta *scientifica* & *operationis*, nec omnes conditiones illis convenire reciprocè. *Adæquatum* autem *objectum Medicinæ veræ corpus humanum* est, non *omne corpus vivens, sanabile*, aut *Elementatum*, uti olim jam ante *Plemp.* docuit *Joachimus Illyes pag. 13. de nat. Medic.* Scilicet Medicinæ creatæ ad *humanum usum*, secundariò accidit, ut brutis quandoq; medelæ adhibeantur. *Subalternationem* quod attinet, capere eam non possum. *Subalternans* enim & *subalternata* disciplinæ sunt sub eodem genere, at *Physica* theoriâ solâ contenta est, *Medicina* non. Alrius igitur quid latet in *subalternis*, *Idem* scil. *subjectum formale* debet esse in *subalternata* & *subalternante*, quod certè in *Medicina* & *Physica* non reperitur, nec esse potest unquam, uti aliàs est in *Mathematicis*, *ut numerus*. *Sonus* in *Musica* non est *novus considerandi modus*;

modus; nec *numerus in sonis* res est considerata, aut *qua harmonicus* modus considerandi, uti discere licet ex *Zabar. Patavino* de tribus præcogn. pag. 526. & *Clariß. Sebitio Exerc. Medic. 2.* Archi-Philosophum hîc *opponit* Plempius Doctiss. *in nova editione pag. 6.* sed ipse respondet exemplo *visus* & *vocis* vi harmonica & perspectiva, quod neutra pro ut visus, vel pro ut vox, speculetur; ἀλλ' ἡ γραμμαὶ καὶ ἀριθμοί Hinc meritò diversas, *alibi* ait, ἑτέροι ὅσων αἱ ἀρχαὶ, μήτε ἐκ τῶν αὐτῶν.

II. Ut autem in solidam *subjecti* cognitionem deveniamus, *Particulæ* ejus singulæ & præcipuæ potissimum spectandæ. Est autem *pars* latè loquendo *omne illud, quod corpus nostrum complet.* Gal. *l. 1. Meth. M. c. 4.* aut quod *undequaq; non habet propriam circumscriptionem, nec undequaque conjunctum est aliis, Gal. 1.* de V. P. c. 1. *Strictè* loquendo dictante

Ern-

Fernelio, est id, *quod vitâ communi cum toto fruitur, & ad certam actionem vel usum comparatum est*, quæ quidem ultima acceptio hujus loci propria.

Oculi dimidium partem esse corporis simpliciter & absolutè vocandam negat *Fernelius*. Idem censet de *tenui nervi* aut *ossis fragmento*. Hæc falsa prolata esse putat *Plempius pag. 144*. Sed excusari potest *Fernelius* meritissimus hoc in passu. De *resecto fragmento* ipsi sermo, quod partem esse negat ipse *Plempius*. *Dimidium* verò *oculi* quem usum habet, quam functionem? At omnis pars, inculcante *Plempio*, actionem habet & usum. Falsum hanc in rem commentum est *Minadoi*, ex cujus *l. 1. ext. aff. c. 2.* sua hausisse videtur *Plempius cit. l.*

Sic ex eodem *Th. Minadoo c. 5. functionem* ab *usu* differre profitetur, hâc tamen cautelâ, ut nulla pars detur, quæ non habeat actionem & simul usum. At usum habent quædam, quæ non habent functionem. *Extra* verò *applicationem*

non

non est usus. Mi *Plempi*, Oculis & manibus uteris, si legas. Usus non est in quiete aut otio. *Nuda aptitudo* nisi in *actum* deducatur nulla est. *Usus* & *actio* revera in partibus coincidunt, non differunt. *Secretio seri â sanguine, actusq; naturalis seminationis promotio*, annon est *Renum actio*, annon *eorundem usus*?

Pilos quoque in primo limine, & *ungues* è partium classe à *Fernelio* rejectos recipit *Plempius p. 150.* rationibus tamen non *novis*, sed quas dudum exposuit *Parisanus l. 12. ex. 4. subt.*

At verò *dentes* non omni ætate, nec semper, teste corrosione, recrescunt. Ab *hecticorum* verò & *tabidorum* statu non licet argumentari ad *naturalem*. Uti in aliis morbis *excrementa* abeunt in *vermes, pediculos, scabiem*, ita in quibusdam in *calculos, arenam, ligna, carbones*; in *copiosos capillos*, ut in *hecticis*, in malignos, ut in *Rhopalosi*, & affine *Plica*, in depascentes maximè his oris familiares *Cridones*. Non enim exinde sequitur *partes* esse *propriè dictas*.

Communi autem vita pilos cum toto donatos esse pergit *Plempius*, quod & in radicibus canescant, neque crescant in immensum, atque ita animati dicendi sint. *Sed* albescant etiam pili in ipsis radicibus, in ipsis *extremitatibus*, quid tum? Excremento scil. mutato, mutatur excrementi proles. Uti de *Barbæ canitie* pulchrè exponit *Clemens Alexand.* Lib. *Pædagog.* Sic *Capilli mulieris pollutæ menstruis* sub fimo sepultæ fiunt serpentes. *Non menstruatæ* crines tam fœdam metamorphosin non experiuntur. *Crine ruber* ante quinquennium factus est Ciffæ *Nobil. CRAFT Schenckius ab & in Schvveinsberg* post dolores capitis intensissimos febris malignæ petechialis. *Antonius Maria Catabenus* pro canis luteos accepit; pro albis verò *Josephus Fontana* nigros. Memorabile de sororio Proavi mei *Eckardo Barbato*, Præfecto territorii & urbis Alsfeld, ex nepotum relatu habeo: Apertâ piè defuncti cryptâ, ejus cùm filius humo mandaretur, *barba*, olim *cana*, *rufa* tunc

inven-

inventa, cætera cinis. Unde rediit illa tinctura? Per-Illustris *Radetus* horæ spacio à brevi somno meridiano *Rhopaloſin* accepit *Veronæ*, teste Excell. *Castro*. Excrementis scil. variantibus, variantur ea quæ inde oriuntur. Cur verò *pili non crescant in immensum*, Joubertus se scire non immeritò gloriatur. Nec falsum est aut inane, ex partis & corporis alio atq; alio *temperamento* proficisci pilorum quantitatem & terminum; idenim sæpe facit, ut ignava sit aut diligens *vis expultrix*, uti aliis quoque partibus recrementis devehendis addictis accidit sæpius. De hinc verò, à *pilorum* inquam *longitudine*, corporis temperiem addiscere licet sæpius, *manuducente* Coo *text. ult. de aëre aq. & loc.*

Quare autem, quærit Clariss. *Plempius*, quando ad justam magnitudinem pervenerunt pili, cessat expultrix: quando autem deraduntur vel præciduntur non cessat? Idipsum aliis locis proponit *Tardinus* pag. 263. Virtus expultrix, *inquit*, non potest dici debilior facta,

quia si pilus abscindatur, aut novaculâ abradatur, rursum idem emergat & extollat. *Respondent* hîc quidam, sæpius impediri expultricem, si deficiat pilorum alimentum; uti roboratur, si abundet. Febrile v. gr. incendium in solidis partibus delitescens apud Hecticos, earum crassamentum attenuat, & in halitum digerit, similiter & humidum earundem partium colliquat, unde fit, ut multo uberius alimẽtum pilis suppetat, atq; expultrix excitetur, uti in Alopecia cõtrarium fieri pulchrè deducit *J. Asßuerus Amsingius*, olim Professor meus *de morb. pil.* pag. 11. Si pilus verò abscindatur atque radatur, expultrix habet quod expellat: quiescit verò in statu naturali, si pilus magnitudinem debitam nactus est, quia tum pilus mediantib⁹ poris absorbet id, quod post rasionem novis pilis generãdis adest. Pilus itaq; ad imẽnsum nõ crescit, quia quãdo ad debitam quantitatem pervenit, pro alimento absorbet id, ex quo pili fiunt; uti in statu præternaturali videmus urgente Hectica

ma-

magnitudinem non servari, augescente sic pilorum materiâ. Concludit tamen *Plempius*, formam seu animam pilis certos fines & limites præfigere. De hac autem Anima disputant inter se *Thomas* & *Bonaventura*, quorum hic pilis peculiarem animam, ille totius attribuit, quam tamen litem meam non faciam. Ob nutritionem autem pilorum jam jam expositam, partes propriè dictas pilos asserere nollem, si considerentur steatomata, lumbrici, plica & alia excrementa etiam inutilia; unde non opus ad microscopium (de quo *Franciscus Fontana* in novis cœlest. terrestr. rerum observat. Neapol. 1646. apud Gaffar. p. 146. 151.) confugere, & muscam in Elephãtum, pulicemq; in Camelum, ita differente *P. Scheinero* in Rosa Ursina l. 1. c. 30. amplificare. Nec ob usum pilorum partes propriè dictæ *pili* dici merentur, quia omnia excrementa utilia usum habent. Nec negavi, pilos comparatos esse ad usum, ut servent cutis poros adapertos ad transpirationem, qui alioquin

arctè clauderentur & concideren t. Probavi potiùs rasione hanc commoditatem promoveri, uti non semel id expertus sum in ægris Cerebro laborantibus. Qui verò negat à rasione & calida lotione poros laxari, abeat ad Isiciarios. Per rasionem enim, calorem & motum cutis rarefit, ut evocatâ materiâ hinc uberius crescant. Frigus poros obstruit & densat, unde Scythæ natos ad flumina *Galeni* ætate detulerunt. In *morbo pilari* annon rasione pori aperiuntur, etiam in dorso, ubi cutis aliàs ex se densior, vel *Hipp.* aph. 59. s. 5. inculcante? In *frontispicio* pilos *Plempium* pro partibus habere dixi: in *epilogo* verò largitur, quod quis facilè sustinere possit, etsi pili animati habeantur, partes tamen corporis animalis non esse, sed se habere ad corpus, ut plantas ad terram. Nos putamus partes esse latius sumtas, excrementitias nempe utiles, ubi distinguendi simul cõgeniti à postgenitis, naturales à præternaturalibus, quales ferè in omnibus totius corporis partibus ob-

ser-

servantur: Boscius enim de Concord. Medicor. & Physicor. *Haminem totum hirsutum* narrat: *Linguam pilosam* vidit *Amatus Lusitanus*: *Cor hirsutum* notarunt *Valer. Max. Plinius, Muretus, Benivenius, Zvvingerus*, atque pronuper *Excell. Sculletus Noricus* in Trichiasi admiranda: *Pilos* in *testibus* annotavit *Bauhinus*: In *Utero* pilos habuit *mulier Bernensis*: *Sanguis* quandoque *pilos continet*, ut omnium optimè exponit prædictus *Sculletus*: *Abscessus pilosos* observavit *Galen. 14. M. M. c. 12. Kyperus* pilos putat esse partes similares minus exactè tales. *Higmorus* appendices appellat. *Hyacinthus Jordanus* Theor. Medic. D. Thom. & *Nemesius* de facult. anim. *obiter* existere putant. *Poetæ* tegumenta dixerunt, cum viderent *Gallos molli pubescere veste*. Quæ verò *Canicies* Amygdalo florente *Cohelet ult?* An *pubes* ultimò canescens intelligitur?

Quod *Pinguedinem* attinet, multi dubitant, an pars propriè dicta Excremẽtum chyli tenuioris statuit *Johannes XXI.*

Papa Roman. pag. 139. Esse verò simul alimentum pro *Fernelio* loqui videtur *Galenus* 2. de temper. 4.

Ridiculi causâ, opponitur mihi, me, dum Papæ in Physicis rebus ita pronè accredam, eidem obediturum in Theologicis & capitibus fidei. *Non opus* hîc ullâ irrisione. Ego enim Paparum prolata verbo Dei consona exosculor, & sequor lubens. Amo præterea Papicolas & nullos operâ meâ usuros floccipendo, sed fideliter & prompte ita quidem curo, ut aliquot Electores, Primariique S. R. I. Principes Catholici Diversi me pro Medico utantur. Quid vero ad alios, quod non sequar castra Pontificis, cum non ægrè feram, multos non esse Evangelicos, uti ægrè omninò fero, multis non licitum esse, in veritatem nostræ salvificæ confessionis inquirere, nedum descendere. Non sumus nos κώφα πρωσοπα. Non juramento adstringimur, ut non liceat inquirere in Romanam fidem, uti multi jurant, non tantum nunquam deserturus eam, sed

ne

ne opem Medicam ulli laturos, antequam Pœnitentiæ Sacramento *Romano* ritu usûs is fuerit. Quâ expianda hostiâ hæc invidia? Christiano indignissima? Præceps occasio, ut in bello; semelq; tantum non bis peccatur hic. Ut autem verum me scribere sciat Lector, addo *Romæ* usitatum promovendi modum, mihi sanctè cognitum, exploratum & certum. *Doctorandus* (ait Bulla) *factâ fidei Catholicæ* (modernæ Papisticæ) *professione ad sancta Dei Evangelia jurare cogitur, eandem fidem ad extremum vitæ spiritum se servaturum. omnes qui ad manus suas devenerint, ad Sacramentum Pœnitentiæ suscipiendum hortaturum, & aliâs ad eos ante non venturum.* Hinc quàm non deridicula reponam, pro ludicris, γελοῖα γελοποιὸς videat.

Quoad *Galenum* D. Plempius putat, id tantum esse *pinguedinem*, quod venæ mittunt in partes frigidas. Ast *Galenus* loqui videtur de pingui extravasato, tàm in locum calidum, quam in locum

frigidum depositō. Quid si *Fernelius* intellexerit pinguedinem extra venas calidis non frigidis effusum partibus? Idem scilic. sevum igni instillatur & aquæ, licet illud non concrescat, sed absumatur.

III. Variè autem ipsæ partes distinguuntur ab Authoribus. Ratione *ortus* aliæ *spermaticæ* sunt; os, cartilago, ligamentum, fibra, membrana, nervus, vena, arteria, tendo, &c. Aliæ *sanguineæ*; carnes musculorum & parenchymatum; Aliæ *mixtæ*; Cutis. Ratione *essentiæ absolutè consideratæ* aliæ *similares* sunt, aliæ *dissimilares*; *illæ* retinent nomen ac naturam totius, si dissecentur, possunt enim in plures particulas ejusdem naturæ dividi cum toto; *Os, cartilago, ligamentum, membrana, tendo, fibræ, vena, arteria, nervus, cutis,*

cutis, caro. Hæ minimè, utpotè quæ ex iis conflantur: *Ventriculus, Cor,* &c. *Galen. l. 4. de plac.*

De *similarium numero* & *definitione* quæ proponit *Plempius p. 154. & seqq.* ea omnia mutatis saltem logis desumpta sunt ex *Laurembergio.* Ex *Laurembergio* inquam, cujus tamen mentionem non facit, nisi sarcasticâ *prosolito* irrisione. Quia forsan *Germanus* est *Laurembergius*, h. e. Plempii judicio *Rhapsodus* & *Compilator.* Si scivisset ipsum *Montalbani* docuisse, peperciſſet forsitan manibus *Viri* de Republica Asclepiadea meritissimi. Ad rem. *Pilus* & *unguis* excrementa sunt. *Spiritus* ad *humores* spectat. Medulla *Cerebri*, & *Spinalis* atq; similia *carnis* nomine intelligit Gal. *l. 1. nat. f. c. 6. Vreteres* Plempii *decreto p. 233. nervei* sunt. Qui *frustum carnis* edit, edit *carnem*; qui *nervi particulam* habet, habet *nervum.* Nulla verò *pars similaris inorganicà* est, ut infert *Plempius.* Omnis enim inservit actioni producendæ. *A-*

ctionum verò causæ sunt tam *dissimilares*, quam *similares*. Gal. constit. art.

De *partibus Spermaticis* notat *Sennertus*, quod nõ possint regenerari. Hoc cum scriberem, in *Pharmacopœa Catholica lib.* de *Emplast.* ut fraudem detegerem Seplasiarii indocti & plebei *Irnsingeri* Norici, tam malè habuit rudem Agyrtam, ut nõ veritus fuerit *Apologiam* exarare atque contradicere, nullis tamen rationibus, sed nequissimis calumniis. Postquam verò Amplissimum Colleg: Medicum Magistratui Augusto Noribergæ, veritatem sententiæ meæ exponeret, Chirurgique jurati penitius fraudes Irnsingeri monstrarent, famosum & mendacem libellum orco tradere, atque silere convictus deceptor jussus est.

Quod *numerum ossium* attinet, *Plempius p. 159.* illum non definit. De *Maxilla superiori* dubitat, an *undecim, tredecim*, vel *quatuordecim* ossibus, &c. constet. *Ossi sacro quatuor* saltem tribuit. *Ossis hyoidis* penè oblitus fuisset, dum appendicis quasi loco ejus meminit, quod tamen

men non incommodè in primo limine notandum fuisset. Sunt in universum ossa *homini* 254. In *capite* 63. in *spina* 34. in *thorace* 35. in *artubus* 122. In *Capite* enim quatuor ossa calvariæ sunt, temporum duodecim, maxillæ superioris, si dentes addas, viginti novem; inferioris verò in adultis octodecim, in pueris 19. Ossa maxillæ 2. os hyoides 1. & dentes 16. In *Spina* vertebræ sunt 24. & os sacrum 6. atque Coccyx 4. ossibus constans. In *Thorace* ossa scapulæ 2. sunt, claviculæ duo, Costæ 24. & septem ossa Ensiformis Cartilaginis. In *artubus* verò *superioribus* sexaginta, in *inferioribus* sexaginta duo sunt.

Hæc ipsa ossa in corpore junguntur partim modo conspicuo, per *articulationem*, partim per *connexionem inconspicuam*, Symphysin. Prior connexio, *Articulatio* vel est *Diarthrosis*, vel *Synarthrosis*. Illa comprehendit *Enarthrosin*, *Arthrodiam* & *Ginglymum*; Hæc *Suturam*, *Harmoniam*, *Gomphosin*, quibus *obscurum motum* concedit *Plempius p. 160.*

falsò tamen, non serviunt motui, sed perspiratui, transitui, partium discrimini, &c. *Diarthrosis* motui inservit. *Symphysis* verò *sine medio* fit, & *cum medio*, atque tunc vel est *Synchondrosis*, vel *Syneurosis*, vel *Syssarcosis*.

Ossa ali medullâ, docet *Plempius*, cùm nullum os medulla careat absolutè, etenim absente medulla adesse humorem medullosum. Venulas *etiam* datas esse, ut alantur per eas, at prius sanguinem illum verti in medullam, &c. *pag. 162.* Non opus fuisset tàm prolixè id pro & contra exponere: Omnes partes corporis nutriuntur sanguine. Alimentum verò non convertitur in substantiam partis, nisi primum variis alterationibus eam similitudinem, quâ parti respondere potest, sibi acquirat; *Sanguine* itaq; nutriuntur ossa *remotè*, *medullâ proximè*, ubi medulla adest. Leonum enim & Ursorum ossa medulla carere, *Bassianus Landus* è recentioribus asserit, *pag. 52, l. 1. Anatom.*

Sentire verò ossa *Plempius* negat, quod sen-

sensus non pertineat ad rationem singularum animalis partium. Mi *Plempi*, anne animal esse potest sine sensu tactus? nec igitur ulla *pars animalis* esse potest sine tactu; non esset *animalis*, sed *plantæ* pars. Ille verò *sensus tactus* quibusdam partibus ineſt obscurus, quibusdam *subtilis*, sine *dolore* verò *uri*, *secari* ossa, negat *Ostocopia*.

In avia hic ducere me tirones, conqueritur dictator, quasi soli ipsi Sol luceat, & nemo præter ipsum ex artis dignitate loqui posset. Animal, *ait*, esse non potest sine potentia locomotiva, rectè ne hinc inferes, partes quaslibet eâ potentiâ esse præditas? *Sed* hinc non sequitur sensum communissimum animalium, tactum, non esse debere communem singulis partibus, cum locomotiva potentia non sit in sensuum externorum catalogo. Illum verò sensum tactus quibusdam partibus tribui obscurum, quibusdam subtilem, atq; sine dolore ossa uri & secari posse, negare osteocopiam: *negat* asserendo eam non esse

dolo-

dolorem ossium, sed tertium lassitudinis Galenicæ speciem, quâ ceu contusas aut phlegmone obsessas partes sentimus, quæ tum maximè solet incidere, cum musculi excalfacti attraxêre quidpiam ex circumfusis sibi excrementis. Quod si etiam tum tendinibus, tum nervis idem affectus incidit, ostocopon græcè, quasi osseum dolorem eum affectum nominant, ob penitiorem scil. sensum partibus, quæ in alto maximè corpore sitæ sunt, tribuentes nomen. Quippe summum locum cutis occupat; secundum ab ea positus ordinem musculi habent utrique circa ossa positi: & tendones ipsis ossibus adhærent. *Ast* nervorum dolor potius perhibetur acutus & pungitivus, toto cœlo à tertia lassitudinis specie allegata differens. Imo annon ossium apostemata proponit *Severinus* p. 291? Clarissimus *Laurembergius* concludit ossa habere sensum à nervis, uti vitam & nutritionem à venis & arteriis vicinis, ut forsitan hinc ossa conturbari, *Psalm. 6.* & perterreri, *Iob. 4.* dicantur:

unde

unde *gelidas per ima currit* non rarò *ossa tremor.* Sive verò ossa sentiant, sive non: eadem manebit Medendi Methodus. De *Leonum* ossibus scribunt, quod collisa ignem evomant. Quæ ego servo in meo Musæo, id non præstant. De *Cartilagine* notandum, quod *Gardinius* possit excusari, si à potiori sumsit denominationem. Extremitatibus enim ossium adnascuntur *Cartilagines*, quibus reliquæ adduntur: Suntq; *sensus subtilis* atque *acuti* omnino *expertes* ob *flexibilitatem*, alias animal esset in continua ἀναισθησίᾳ, sic etiam *ligamentum* nullum sensus obscuri expers est, uti innuit *Gal. 3. de nat. fac. c. 15.* De fibris inferius. De *membranis* verò, *tendinibus, nervo, vena, arteria* passim in viscerum expositione. De *Cutis temperamento* & *ortu* nil exponit *Plempius. Gardinium p. 165.* carpit, quod *Cuticulam* dixerit *ejus partem. Vera pars* non est. Est tamen efflorescentia. *Plempius* excrementitium quid esse concludit, quod *amissa regeneretur.* Itaque & *dentes* ex

Plem-

Plempii voto erunt *excrementa, pag.150. lin.7.* quos *ossa* esse & per consequens *partes* furor est ambigere, *pag.162. Carnem* communi descriptione definiri quid vetat, ita tamen ut *carni propriè dictæ primò* competat? *Sic* Caro *pars est similaris ad fibrarum robur genita, musculis, visceribus & parenchimatibus concessa simplex aut glandulosa.*

De *Pinguedine* nota; quod non opus sit recurrere ad ipsam *animam. Causa materialis* supra exposita est. *Efficiens* calor est sed modicus, & talis qualis est apum. Ex floribus materiam subtrahunt, ex qua caloris proprii beneficio *mel* coquant, quod à *calore* denuò liquefit. Inter *calorem fundentem* & *frigus densans* debet esse proportio. *Sal* non *concrescit* propriè *elixatione*, sed *exsiccatur* potius, aut *præcipitatur*; calore quidem non adeò forti, & quo nunquam fundes id.

IV. Præter datas autem differentias maximè hoc loco notanda, qua aliæ *principales*, aliæ *mi-*

nus

nus principales dicuntur. *Illæ* requiruntur ad *conservationem Individui absolutè*, Cerebrum, Cor, Hepar & Testes. Secundum *Gal. l. artis parv. c. 9. 6. U. P. c. 7.* Hæ verò, *minus* scil. *principales* principibus inserviunt, *defendendo, materiam adducendo, præparando, atq; excrementa recipiendo & ablegando.*

Quoad *definitionem Partium Principalium* lis est inter Authores. *Plempius* pag. 173. *Aben Sinæ* assumit tanquam perfectissimam, quæ talis est. *Pars Princeps est, in qua ut in præcipua sede maximè viget virtus aliqua, quâ totum corpus vivens gubernatur. Laurembergius* hanc dat: *Pars Princeps est, quæ nobilissimam edit actionem.* At nulla est in corpore gubernatio. Omnia à se invicem dependent, & mutuo opere ac nexu se respiciunt. Nimis etiam lata videtur *Laurembergii* descriptio. *Oculus* certè edit *nobilissimam* actionem. Pars Princeps est,

quæ

quæ *ad vitam individui conservandam absolutè necessaria est. Absolutè verò necessariæ* sunt illæ partes, à quibus potissimùm *facultates* corpus conservantes dimanant. *Animalis scil. Vitalis, Naturalis & Genitalis.* Testes enim partibus principalibus annumeramus cum *Gal. l. artis.*

Quæ de *numero principalium* proponit, desumpta sunt ea ex *Laurembergio*, hoc excepto, quod *hic Epar* rejiciat, *Plempius* verò retineat, & ob *Laur.* rationem *Lienem* simul jungat, pag. 175. Ast non omnia præstat *Lien*, quæ *Hepar. Pleraq;* saltem, ut infert *Laurembergius.*

Minus principalium partium definitionem, qua dicuntur *principibus inservire*, damnat Plempius pag. 177. hoc enim pacto jecur esse partem ministram non principem, dum præparat cordi sanguinem: Melius autem partes ministras definiri putat sic: *Partes ministræ sunt partes, quæ principibus inserviunt, sine ulla facultatis aut materiæ ad vitam abso-*

absolutè necessariæ suppeditatione in totum. At talis pars est Hepar. Inservit *Cordi sanguinis elaboratione*, & *sanguinem*, materiam ad vitam absolutè necessariam, suppeditat *toti*. Mi *Plempi*, in corpore unum dependet ab alio. Non minus à *ventriculi* χυλώσει pendet *hepar*, quam *ventriculus* ab *hepate*, sed alio modo *partes minus principes* serviunt *principibus*. Aliud *ministerium* exequuntur. Scil *Partes minus principes*, v. g. *Cordis*, Cor *defendunt*, *materiam ei adducunt*, *adductam præparant*, *excrementa recipiunt & ablegant*. Anne *hepar* horum quicquam præstat?

V. Notanter dixi thesi 1. *Subjectum* non tantum partium, sed & *principiorum* ratione considerandum esse, unde meritò de *Semine* & *Sanguine Materno* quoque agendum.

Principia proxima generationis sunt *semen*, & *sanguis Maternus*. *Semen* est corpus humidum, multo calore & spiritu

ritu perfusum, à peculiari vi testium ex sanguine & spiritu à toto transmisso genitum, ut ad speciem perpetuandam inserviat. *Parens l. 1. de nat. hum. p 50.* Estque duplex, maris & fœminæ: *Sanguis* verò *maternus* complementum & augmentum Embryoni confert, menstruo aliàs tempore in non gravidis fluens. Multi quidem semen fœmininum negare conantur, sed refutantur doctè satis à Laurentio & Fernelio, aliisque; maximè Doctissimo *Bartolino, vindic. anat. p. 61.* Causam sanguinis menstrui exponit *Galenus* l. 2. de sem. cap. 5. Venenatum illum sanguinem quidam asserunt ex *Plinio, Columella, Fernelio, Cardano, Columbo, Bottono,* & *aliis,* quibus satisfacit *Parens* de nat. hum. *p. 59.* De ipso mensium fluxu infra de *temperamentis part. 1. c. 2. s. 1. art. 1, 2. & sect. 2. Art. 1. subsect. 3.* uti etiam *part. 2. sect. 1. de Victus ratione.* Quoad *generationem* ipsam confer *Geneanthrop.* Joh. Bened. Sinibaldi Leonissani Archiatri & in Romano Archi-gymnasio Professoris *Roma* 1642. excusam in fol.

SECTIO

SECTIO I.

DE CEREBRO, ET QUÆ HUC SPECTANT.

I.

INter *Partes principes* merito prima ſtatio debetur *Cerebro*, organo *facultatis animalis*.

Defenditur autem *idipſum* præter partes *communes* per *pericranium*, *cranium*, & *duas meninges* proprias; *piam* & *duram Matrem*, Gal. *l. 8. de U. P. l. 9. Adm. Anat.*

Ineptè *matres* vocari *duas membranas* Cerebri *pag. 178.* arguit *Plempius*. Vocem quâ Arabes utuntur *matrem* ſignificare, at præter illam notionem *uſitatè* inſuper *ſignificare* receptaculum, tegumentum, & quodlibet, cui altera res ingeritur: breviter; id quod Græcis *meninx*. Vox quâ Aben Sina *l. 3. fen. 1. tr. 1.*

c. 2. utitur propriè non *Matrem* significat, sed *generaliter* notat *tunicam quamvis*. Hinc Regius Propheta David utitur, *Psal. 72. v. 6. Descendit sicut pluvia super vellus*, &c. Non tamen negligendum, multò minus ineptum est, *Matres* illas membranas dicere: Cùm *piam* ipse Galenus *secundinam* dixerit. Uti enim *mater fœtum* fovet, ita *meninges Cerebrum*. Ægrotante *Matre* ægrotat *embryo*, uti læsis *meningibus* ipsum *cerebrum*. Imò quemadmodum *Græci solas has membranas* dixerunt *meninges*, ita *alii Matres* potius dicere voluerunt, quàm *receptacula*, &c. ut *Græcos* sequentes, vim *dictionis* & *rei* eò melius exprimerent.

Clarissimus *Reinesius* Arabismum inculcat, cum Arabibus febris mater dicatur frigoris, equus mater longinqui itineris, podex mater pudendorum, epilepsiâ mater puerorum, aneurisma mater sanguinis. Quicquid sit, nolo esse ὀνομαλοθήρας aut θηρολίξις.

Validam duræ membranæ (inquit *Plem-*

Plempius ex capite 7. *Fieni* de Trepano) ad cranium alligationem notent sedulò *Medici* & *Chirurgi* quoad usum *trepani*! At *Plempi*, si in illis ipsis locis cranium trepanum requirat, si perforationem proficuam alio in loco facere non liceat; Tum Cerebrum non terebrandum, sed morti ac sepulchro potius æger relinquendus erit? Non sic. *Johannes Berengarius* enim & *alii* docent & probant contrarium, licet verum in genere sit, periculosiorem usum trepani esse in futuris, osse temporum & osse frontis, parteque demissiore occipitis, quod olim jam *Galeno* innotuit.

Ab ipsa *dura* hac *matre*, Idem *pericranium* oriri putat. Id vetus est commentum, sed olim jam à *Parente meo*, & post hunc à *Spigelio* explosum. *Laurembergius* hos secutus est, quod tamen ægrè fert *Bartolinus junior* doctissimus. At profectò consensus, quem allegat, est à fibris, in recens verò natis nullas productiones invenire fas es est veras, ligamenta adsunt, quæ temporis processu

coëuntibus ossibus coëunt, & nexus fibrosi evadunt, non aliter ut vasa umbilicalia ipsa quoque temporis processu, tendones fiunt. Spinas caput *Dulcissimi Salvatoris nostri* perforantes, ad pericranium penetrasse, *Moles* tradit p. 176.

Unicum hominis cerebrum duobus boum cerebris grandius esse, rectè scribit *Plempius* pag. 179. Cur verò id à natura factum sit, non exponit. Homo, inquit *Lauremb.* cerebrum magnum postulabat, ob actionum nobilissimarum à cerebro efficiendarum multitudinem, varietatem & subtilitatem. *Et rectè.* Homo enim intelligere debet secundum speciem ex multis sensibus procedentem, dicente *Platone.* Ad *Cordis* autem *refrigerium* non tam *magno* opus est, vel *Leonis* exemplo. Bonum itaque magnum caput, ob cerebri magnitudinem, quam rem veram esse olim jam demonstravit *Pericles*, apud *Galen. comm. 1. n. 6. epid. t. 1.* Hinc *homini parvi capitis mentem* eripuisse Jovem dici solet. Uti è contra *Cor minus* laudatur

præ

præ *magno*: Stupidiora enim animalia Corda habent majora, homoque timidus magnum, audax parvum: quâ de re in *decad.1. observ. pag. 18.* Eleonora Imperatrix menſe Junio 1655. demortua Cor magnum exhibuit, uti & Anno 1641. Comitiſſa Perleburgenſis, utraque valde placida. Quid vero *Jobi* 19. v. 12. *cordari*, ſi hebraizare velimus, notabit?

Dictis verò *Cerebri membranis*, ut & *ipſi cerebro* multi ex *Raphelengio* & *Florentio nigram cruſtam* metuunt à *fumo tabaci hauſto. Falckenburgii experientiam* allegant, ad quam non habet, quod opponat in ſua *Tabacologia Neander*. Adducuntur etiam rationes. Ejus accuſant *narcoſin, caliditatem, vim excedentem purgantem, malignitatem*, quæ non rarò ſe *Tabacibibulis tyronibus* prodat *vertigine* & *animi deliquio*, adeò ut *Hier. Benzo* diabolicum vocet fumum, cujus uſu obiiſſe putet *Richardum Flecteum* Epiſcopum Londinenſem *Cambdenus*. Tabaci *virtutes* exponere hujus non eſt lo-

ci. Habent eas *Mercatus, Parens noster, Everartus, Heurnius, Neander, Primi Rossius & alii.* Ad *Cerebrum non venire fumum Tabaci, nedum ei, aut ejus membranis nigram crustam inducere*, hoc inquam solùm hac vice probabimus. Et *Falckenburgii* quidem *observationi* damus *alias contrarias* Guilielmi *van der Meer*. Is expressis & conceptis verbis testatur, se in dissectione *plurium cadaverum fumisugorum*, tam publicè, quam privatim facta, nunquam aliquid invenire potuisse, quod ullam vel levissimam *fuliginis* vel *nigredinis* notam, aut suspicionem præbere potuisset. Insuper profitetur, se *in furis* cujusdam cadavere, qui inter *fumisugos* celeberrimus omnium fuit, atque etiam post acceptam mortis sententiam, ipsâq; mortis horâ *fumum tabaci* avidus sumserit, nullam cerebri *nigram crustam*, ac ne *fuliginum* quidem *vestigia* vidisse. Uti hæc contra *Sennertum* confirmat *Sneiderus de osse ethm.* & *Bartolinus* Clariss. *obs. centur. 1. hist. 5.* Ita *Ferdinandus Sagittarius*, Elector

storis Bavarici Medicus Excell. Amicus meus magnus; tabacibibulus strenuus, cerebrum post obitum planè sanum exhibuit. Fumus tabaci non potest penetrare ad *cerebrum*, aut ejus *tunicas*, quia in *cerebrum* non possumus inspirare per *os*, sed per *nares*. Per *os* inspiramus ad *pulmones* & *ventriculum*. Per *nares* verò ad *cerebrum*, unde fit, ut illarum rerum odorem non sentiamus, quæ in ore detinemus. Ita *fumi tabaci* ore detenti *odorem* non percipimus, quia ad *cerebrum* non pertingit, aut pertingere potest *detento* cum *spiritu*. Nec *emissus* ab ore postea per *nares* cerebro se insinuare potest, quia *exspirando non olfacimus*. Nec etiam *minor quantitas fumi* rejicitur, quam recepta fuit: Caput igitur afficitur *non fumi substantia*, sed ejus *virtute*, instar masticatoriorum medicamentorum, à *quâ* non metuenda *crusta nigra*. Quid verò in *tabaco*, quod ita alliciat tabacibibulos, ut qui semel vel bis biberint, ab illius usu non possint facilè avelli? *Natura* hujusmodi remedio ho-

mines non irretiret, si ita *noxium* esset, ut dum *sanaret*, etiam *interimeret*; *dum* cerebrum à stagnante pituitosorum & serosorum humorum copia relevaret, *unà* quoque idem *nigris* & *adustis fuliginibus* repleret, nimiâque adustione & arefactum & corrugatum tandem *marcore* absumeret; ut vel sic tandem multò prudentiorem in ipsis *Brutis* quam Hominibus concluderetur, quæ illis sensum & appetitum talem inditum esse voluerit, quo noxia quæque & sibi vim inferentia & adversari & evitare posse optimè noverint; *Homini* verò idipsum denegaverit, quem tantâ oblectatione vel etiam *invitum* ad *hauriendum* ipsius *Tabaci* accensum fumum traheret, quo ipsius *Animæ Rationalis sedem* debellare, atque *ipsam* Homini *necem* subdoli hujusmodi oblectamento afferre possit.

II. Ipsum Cerebrum dividitur in *Cerebrum propriè sic dictum*, & in *Cerebellum*. *Illud* dividitur per *falcem* in *dextram* & *sinistram* partem

tem, in quarum medio *calloſum* corpus reſidet, *binos ventriculos* oſtendens *anteriores* ſcil. vel *ſuperiores*, *ſepto lucido* à ſe invicem diſtinctos, & in *plexum Choroeidem* detinentes. In fine & coitu horum ſub illa calloſi corporis excreſcentia, quæ *fornix* dicitur, *tertius* eſt *ventriculus*, à quo verſus anteriora *pelvis* & hinc *glandula pituitaria*, verſus poſteriora verò *pinealis*, *penis*, ac *teſtes* & *nates* exoriuntur, & ſub his *anus* (ſubque his *coxæ* & *vulvæ*) in *eo* ſcil. *meatu*, qui *quartum* & *ultimum ventriculum Cerebri* oſtendit. *Cerebellum duos proceſſus* habet, *vermi formes excreſcentias* dictos.

De *Mole Cerebri* nota ex Hippocr. *l. aëris, aq. & region.* imminui eam *libidinis intemperantia*, uti vidit *Parens* noſter.

ster. *Puerum* sine *Cerebro Schenkius, Valeriola* atque *Carpus* viderunt. Mirum hinc multis videtur, quod amicus noster refert Excell *Fontanus*, se vidisse puerum, *in quo Cerebrum deletum fuerit*, respons. & curat. Med. l. 1. p. 16 *qui „aliquo modo rationis manserit participeps.* Epitom. Vesal. anat. pag. 28. & 29. *Cum tamen aliqui, quibus leviter est læsum Cerebrum, delirent graviter*, uti ipse expertus in *puero duodecenni*, pag. 3. Analect.

Ast non adeò mirum. Nam in *membranarum* aut *ipsius Cerebri inflammatione* non semper adest *delirium grave*. *Illud* olim probavit *Nerei* filia, *Hipp. 5. epid. 47.* ut & *æger* in *Dealcis* horto decumbens, *l. 3. s. 1. ægrot. 3.* Quod verò *ipsius Cerebri inflammationem* spectat, ea quandoque non *delirium*, sed *sensuum obliterationem*; *tremulas, obscuras & detrectabiles desipientias* ex *1. Proær. 33 quales Didymarchus in Copassus*: Periculosiores tamen *tumultuariis* infert. Deinde non ausim dicere *puerum illum cerebro*

rebro caruisse; etiamsi enim non habuerit massam aliquam albam instar intestinorum convolutam, habuit tamen *membranam duplo crassiorem Cerebri* loco, à *natura* ipsi concessam. Ita *natura provida* defectum supplet sæpè. *Gyros Cerebri* & *anfractus* non *intelligendi causâ* factos rectè *Plempius* scribit, & describit ex *Bartolino*, *Piccolomineo*. Ex *Bauhino* eorum usum eruit, sed non omnem assecutus. *Potiorem* omisit, quem tamen primo loco ponere debuisset. *Sunt*, iuquam, *anfractus illi à natura hunc quoque in finem geniti, ut sanguis hoc pacto diutius retineatur, & melius præparetur, atque idoneus reddatur alendo cerebro. Non enim immediatè sanguine nutritur Cerebrum, Mixtus* (loquor verbis ipsius *Plempii*) *affunditur in membranæ duræ sinus, qui deinde in tenui meninge coquitur quasi, præparatur* usque dum *apta cerebri alimonia fiat*. Descendunt autem *gyri* isti *tenuis meningis* in cerebrum *ad pollicis latitudinem* & (nota *Plempi*!) *ultra*, in parte antica circa radicem oculorum.

Ventriculorum internam structuram post *Arnisæum* olim Magistrum meum obs. Anat. 1. pag. 227. nemo doctius exposuit *Sylvio* in *Bartol. Anat.* In recenter mortuis *tunica interna tenuis* optimè observari potest. Eam in *Epilepsia vellicari*, scribit *Plempius*. A vellicatione illa Epilepsiam oriri non puto, mecumque Excellentissimus *Sneiderus* pag. 463. *Vulnerati in ea*, non statim concidunt Epileptici, nec *hydrocephalo interno* correpti. *Hippocrates* Epilepsiam fieri scribit, si in Cerebri corpus labatur humor, *6. epid. s. 8.* Ita *Salmutus* docet, quendam ex improviso epilepsiâ mortuum esse, cui *dimidium Cerebrum sphacelosum* repertum fuerit, *Cēt. 3. obs. 22.* referente amico *Conerdingio th. 16.* Corruptio autem illa *vellicavit* diu, nec tamen *Epilepsiam* produxit nisi ultimo tempore. *Plexum Choroidem* esse *Rete Mirabile* Galeni negat ex *Vesalio*. At falsò. Est enim circumpositum *glandulæ pituitariæ*, manifestius quidem in brutis, quàm in homine. *Glandulæ pinealis* u-

sum

sum esse *fulcire vasa* non credit *Plempius*. Quis ergò? Anne is verus & genuinus quem excogitavit Ingeniosissimus Nobilis *Charteſius*? Sed refutavit hunc *Fontanus*, cui adde *Appendic. nov. editionis* Fundam. Med. *Plempii*, atque confer *Lentuli* nuperum tractatum: scriptaque contraria *Lipstorpii*, *Raei*, & aliorum Virorum Clarissimorum.

III. *Alimentum* Cerebro adducunt *Venæ Jugulares internæ*, atque *arteriæ carotidæ*, (contumaci *hæmorrhagiæ*, si vulnerentur, valde obnoxiæ, teste observat. infra expositâ *Parte 1. cap. 2. Art. 1. subsect. 3.*) *materiam* simul *pro elaborando animali spiritu* advehentes. Ipsum *sanguinem* primò suscipit Cisterna per *sinus posteriores*, è qua debito modo per *innumeros venularum ramos* ipsum *cerebrum* ad se *eundem, alteratum* prius, derivat.

Has *venulas* ex *duræ meningis substantia* progenitas statuit *Plempius*, ac proinde infert, *non omnes venas oriri* ex *jecinore*, *pag. 179.* quod idem repetit *pag. 228.* venæ *arterialis* exemplo. Sed ut dictum est, venulæ illæ propagines sunt *jugularium* in *cavitatibus*, non *in substantia*, aut *ex substantia* duræ matris prognatæ. In *cavitatibus* inquam, quæ instar magnarum venarum sunt, per quarum *foraminula* illi ramuli in cerebrum disseminantur, & cum *jugularibus* continuantur. In *hæmorrhagia* narium à cavitatibus illis orta, *epithemata infrigidantia* Medicos *fronti* malè admovere scribit, cum causa hæmorrhagiæ illius non sit in *cisterna*, sed in *posterioribus cavitatibus* pag. 183. Id olim jam inculcavit *Bauhinus lib. 3. c. 8.* Non novum est hoc dogma, non nova observatio. Nec etiam scio *Medicum*, qui *fronti* in *tali hæmorrhagia* quid applicandum statuat, aut statuere possit, cum & ipsius *Coi* hâc in re viam monstrarit *1. de morb. vulg. ægr. 7.* in ægroto *Metone.*

Quem

Quem locum, quod non viderit *Plempius*, miror maximè, quod præter ipsum *pauci legant Hippocratem, pauciores* (eodem excepto) *intelligant*, uti colligere est ex ejus *pag.151.*

IV. Cum etiam Cerebrum *sensui* & *motui* præesse debeat, ideò nervi partim immediatè à *Cerebro*, partim à *spinali medulla* progeniti spiritus animales hinc inde aliis membris conferunt & subministrant. Sunt autem in capite *septem* nervorum *paria*, à spinali verò medulla prodeunt *paria triginta:* illis adde *processus mammillares* cum *nervis odoratûs.*

Processus mammillares Plempio *Dictatore* constituunt *octavum par nervorum Cerebri*, nervorum scil. *odoratoriorum.* At propriè loquendo non sunt *nervi*, vi argumentorum *Laurentii.* Ratione *Patriæ* & *ortus* nervi dici possunt, ratione *constructionis* & *situs* minimè.

Non *processus ii*, sed *nervi*, organon constituere dicuntur, quatenus *Aristotelis ἐπιπάμμυμα dilatatum* odores per *illos processus* transmittat. Quoad ipsa *paria*: Optica *prima*, oculos movet *altera*: *tertia* gustat, *quartaq́*: *quinta* audit, *sexta* est vaga, *septima* linguæ.

V. Non autem *solus nervus sentit* aut *movet*, etiamsi spirituum influxum à cerebro habeat, nisi inseratur in *partem motui* & *sensui* destinatam, *Gal. 7. adm. an. c. 8.* quam ob causam *sensoria externa* sunt condita, quibus *colores*, *sonos*, *odores*, *sapores* & *qualitates tactiles* percipimus: ut & *musculi*, à quibus, concurrentibus reliquis requisitis, *motus animalis* perficitur, *Gal. de nat. muscul.*

Colligitur hinc, *nervos* alios esse *motorios*, alios *sensorios*, Gal. 9. *de n. pag. 14. lib. 7. plac. 5.* alios *molles*, alios *duriusculos*. Notandum autem, quod *quilibet*

ner-

nervus sensui & *motui* possit inservire, si ad partem, quæ ad *sensum* aut *motum* præstandum accommoda sit, dirigatur. *Molliores* verò nervos *sensui*, *duriores motui* præesse, *Galenus* scribit. Hoc reprehendit *Plempius*. Sed *Galenus* forsan non locutus de *sensu communissimo tactus*, sed de *visu*, *odoratu*, &c. quorum *sensorii nervi* propter Cerebri propinquitatem *mollissimi* sunt.

VI. *Colores* verò percipimus *oculo*, qui est *visus organon*, constans *glandulis*, *pinguedine*, *musculis* sex, *venis*, *arteriis*, *nervis*, septem *tunicis*; adnata, innominata, cornea, uvea, aranea, vitrea, retiformi; & *tribus humoribus*; aqueo, crystallino, vitreo; *uti* fusius hæc in *Anatomia Oculi* exposuimus.

Galenus à *Dæmonio* admonitus exponit, cur *nervi optici antequam calvariâ excidant*, *uniantur*, *& denuò separentur*.

Glan-

Glandulæ *duæ* sunt, rarò *tertia* accedit. *Pinguedinem* & *Glandulas* oculum humectare & lubricum reddere ad motiones, *Plempius* docet. Sed *glandulæ* insuper superfluam humiditatem absorbent, oculis in motu sunt instar pulvinaris, & combibunt unà cum *pinguedine* lachrymarum materiem, quæ cur omiserit vel non admiserit *Plempius*, ignoro. *Pinguedo* verò non tam *lubricum* reddit oculum, durior est quàm ulla alia pinguedo, quàm eundem *calefacit*. Quasi verò tam exiguum membrum non moveri à *sex*, tam validis *musculis* possit sine ope *adipis* crassioris! *Musculi* illi *sex* sunt in *homine*, quorum ultimus *trochleæ* à Fallop. inventæ, *musculus* dicitur. *Brutis* natura insuper *septimum* dedit, ne oculi dolerent, dum prona incedunt; & præterea *octavum*, quo nictitant; Lapsus hâc in re *Vesalius*, *Fuchsius*, *Stephani*. Quod *venas* attinet, oriuntur à jugularibus; *Arteriæ* verò à carotidibus. *Nervi* supra jam dicti sunt. Tunicarum prima *adnata* à *perio-*

stio

ſtio oritur, *Gal. 10. de uſu part. c. 2.* hanc ſequitur *innominata*, cognita olim Galeno *c. 2.* & *c. 3.* atque *8. Corneæ* pars altera cornea, altera ſclerotica dicitur. *Uvea* duplicem faciem habet, concavam & convexam. *Aranea* ſequitur, quam *vitrea* humorem vitreum continens, & *retiformis* excipiunt. Inter *vitreum* verò & *aqueum* humorem reſidet *Criſtallinus*, antiquorum *primarium* olim viſionis organon. De *Ipſa Viſione* legantur *Keplerus*, *Platerus*, *Parens* noſter, *Chriſtophorus Scheinerus*; quos omnes quam optimè novit *Plempii* noſtri *Ophthalmographia*. Poſt hos eruditè hanc rem executus eſt vegeti ingenii, & ſummæ eruditionis Vir *Chriſt. Schelhammer Prof. Med. Jenenſis* Ophth. & Optioſcop. *th. 13.* & *ſeqq.* Sed *Cl. VValæus*, *Conterraneus Fr. Sylvius*, *Fr. van der Schagen*, *Bartolinus junior*, Patris veſtigia feliciter legens, ſublata poſtica parte choroide, ſclerotica & retina tunica omnia non niſi *inverſa* per oculum videri obſervarunt. In *cryſtallino* fieri

vapo-

vaporum circumvolutionem in vertigine, fabulantur *Cassius* & *Pereda*, quos doctè refutat Celeb. *Rolfinccius disp. 2. meth. cognosc. & cur. Hipp. Herm.*

VII. *Sonos auribus*. Auris verò *externa* & *interna*. Externa *Cartilaginea* est, cujus *alæ* & *lobus* circumducuntur *helice*. Tumor circa *concham* est *anthelix*: *oppositus* verò circa tempora *tragus*, & *anthelicis* crassior pars *antitragus* dicitur. *Interna auris* 4. habet α. *cavitates*, *primam* tympano finitam, *alteram* 3. ossicula continentem, *tertiam* Labyrinthum; & *quartam* Cochleam. β. *musculos* 2. internum & externum *Casserii*. γ. *nervum auditorium* per *ossis petrosi* alsamach procedentem. & δ. *ductum* ad palatum extensum.

Primam cavitatem finit *myrinx*, tympanum

panum, dictum, quod *tympani bellici membranæ* similis est, Plemp. *pag. 191.* At *myrinx* illa non est *recta*, sed *obliqua*, *membrana* autem tympani bellici *recta* est. Hæc *tensa*, illa *laxa* est, ac proinde nec *sonum edere*, nec *percussa repercutere* potest. Data verò est *myrinx* internis partibus pro *tegumento*. *Altera cavitas* ossicula *tria* exhibet, quæ dicuntur *incus*, *malleus*, *stapes*, quibus adde *squamosum* Fr. *Sylvii*, aut potius *Pavii*. Connexionem trium ossiculorum *Plempius* reticet. Malleus incudi jungitur per *Ginglymum*. Apici *stapedis* verò jungitur crus *incudis* per *Syneurosin*. *Tertia cavitas* accessus habet *varios*, juxta *fenestram*, *inter* stapedem & incudem, ad *latiorem* cochleæ *partem*. In *quarta cavitate* nervus *auditorius* id præstat, quod in *retina* visorius. Quod attinet *musculos*, nec de illis agit *Plempius*. Sunt bini dicti, *externus* & *internus*; quos nullus negat, cui sanum *Cerebrum*. Per *ductum* in palatum *aër* expurgatur, ob *valvulam* verò remeare non potest, quic-

quicquid dicat *Parisanus*. Hinc in *auriu-m affectibus* juvant *masticatoria*. *Quomodo* verò *Auditus* fiat, id exponimus infra *part. 1. cap. 2. sect. 2. articulo 2.* Unicum hoc loco notandum dam⁹, quod à *vehementibus sonis bombardarum sæpè auditus lædatur*, & *contraria* quandoq; *in parte*, uti factum recordor, quod bombardam explodenti auditus non in *dextra* aure, cui tamen bombarda erat inclinata; sed in *sinistra* læsa fuerit: succedente *tumore tonsillarum* & *gurgulionis laxatione*. A vehementibus sonis *quidam* aërem tympanum rumpere aut laxare, & hinc auditum lædi putant. *Plempius* verò *vehementem sonum* auditum lædere scribit, *pag. 159.* non quod *tympanum* frangat, sed quod ipsimet principali auditus instrumento, velut improportionatum objectum incommodet. Ast mi *Plempi*! Vehementes soni non constituunt *improportionatum objectum*, si *instrumentum* auditus rectè se habeat, aliâs *semper* & *in omni subjecto* soni *vehementes* auditum læderent.

Tunc

Tunc saltem *soni vehementes* lædunt, quando parvulum foramen conchæ, inter stapedem & incudem in labyrinthum vergens, *obstructum* prohibet, quo minus corrigere & sustinere possit *cavitas illa* sonos vehementes. In *contraria* verò *parte* accidit auditus læsio, eo quandoque modo, quo fit cranii *contrafissura*, & ex quo fundamento *læso oculo dextro siniſter* quoque *collyria* poscit.

VIII. Odores naribus. *Nasus* duas partes habet, *externam* & *internam*. *Exterior* describitur & dividitur *columnâ*, quæ transit ad interseptum osseum usque: in cavitatibus *vibrissas* habet, partes ejus inferiores *pinnæ*, extrema verò protuberantia *globus* dicitur. *Interna* pars constat osse *cribroso* seu *ethmoide*, & *processibus mammillaribus* seu *papillaribus* dictis, *nervis*, *membranâ*.

De

De Mammillaribus processibus dictum thesi 5. Nervi non sunt dicendi, cum à nervis odoratoriis differant. Describuntur autem illi nervi à *Sneidero* diligentissimo, in *libello de osse ethm.* cui adstipulatur Veritate Magistrâ Eximius D. *Rolfinccius* in aureis suis differt. Anatomicis. Nervi autem illi partim oriuntur à tertio pari, partim à menyngibus Cerebri: atque disseminantur in membranam nasi & ossis cribriformis: spiritumq; animalem tùm â crassa membrana, tum à processibus papillaribus deferunt in narium *membranam*, vèrum odoratus instrumentum: cui rei viam monstrasse videtur ἐπινάκυμα *Aristotelis*, manuducente nostro *Parente* pag. 436. de nat. human.

De osse Ethmoide notant *Montagnana, Benedictus Faventinus, Hofmannus & alii*, quod maximè conferat ad loquelam. Hinc loquelam minus expeditam edi, si vel consumptum vel obstructum sit, cùm aëris libertas in ejus formatione supprimatur, oris coangustatus quasi,

æqua-

æqualiter partes ferire,& ad vocis claritatem juvandam se accommodare nequeat. *Sneiderus* tamen laudatus hoc negat, atque commenti rationes quærit in *Athanasii Kircheri*, Amici mei singularis, *Cantu Luscinia*. Ipsos *Odores* multum facere ad prolongandam vitam, inter alios appositè refert *Jo. Baptista Ferrarius* in Hesper.

IX. Sapores Linguâ & Palato. *Lingua tunicam* habet, *carnem* spongiosam, *nervos* sensorios & motorios, duasque *venas* raninas dictas, duas item *arterias*, decem *musculos*, atque fortissimum *ligamentum*. *Palatum* habet *tunicam*, *carnem* affinem carni linguæ, *Os* atque *duo foramina*. In faucibus *musculi* notentur & *glandulæ*: juxta *venas raninas* verò *glandulæ maxillares*, & *vasa salivalia*.

Nervos primarium gustatus organon asserere videtur *Plempius* 261.

Præstat

Præstat id carnosæ linguæ substantia, & Palati carnea membrana, uti *inferius* patebit *part. 1. sect. 1. thesi 3.* Glandulas maxillares & vasa salivalia *VVartoni*, vide apud *Glissonium* pag. 439. Sunt ut & glandulæ ipsæ bina numero, utrinque unum, inque omnes glandularum partes radices agunt, quæ tandem utrobiq; in unum truncum desinunt. Trunci isti solâ cute aperti, per latera, inferioremq; linguæ partem deferuntur, donec ad ipsius ferè apicem pertigerint, ubi propè duorum inferioris maxillæ incisorum dentium radices, papillarum formâ in os aperiuntur. Hæc fusius tractat disput. Clariss. *Jo. van Horne*, Prof Leidensis. *Segerus* vasa salivalia *Lymphatica* putat.

X. Tactiles tandem qualitates *Cute* justo modo percipimus, unde Cutis primarium Tactus organon, cum sit sensûs subtilissimi.

Organon tactus *Plempius* constituit *partes membranosas* & nervosas. Tales non sunt dentes, qui sentiunt *Plempio* teste.

teſte. De Musculis infra, *part.1.c.2. ſect.1.Art.2.*

Sectio II.

DE CORDE, ET QUÆ HUC SPECTANT.

I.

ALterum principale membrum *Cor* eſt, facultatis vitalis Organon.

II. Inſerviunt Cordi partes minus Principes, & defendendo quidem *oſſa varia*; ſuperius *claviculæ*: poſterius *ſcapulæ*: anterius *os pectoris*: ad latera *coſtæ*: *Membranæ tres*, *Diaphragma*, *Pleura* & *Mediaſtinum*, cui annectitur ipſum *Pericardium*.

Nota autem, *Oſſa enumerata* non tantum defendere *Cor*, ſed & reliquis viſce-

ribus vitalibus mobilibus motum *mediantibus musculis* & *membranis* conciliare. *Diaphragma* quoq; defendit, quatenus reprimit fuligines ex infimo ventre ascendentes. Mira est affinitas *hujus membranæ* cum ipso *Cerebro*. Læsâ enim & inflammatâ hac membranâ sequitur *Paraphrenitis*: unde hanc partem φρένες dixêre Græci: *Trallianus* non putat ab inflammatione hujus membranæ delirium perpetuum oriri *lib. 1. c 13. Carrerius c. 7. disput. 7.* consentit. Ast refutat hos *motus perpetuus* diaphragmatis, ac *major connexio cum cerebro*, ratione *magni nervi* formati à propaginibus 4.5.& 6. paris nervorum vertebarum cervicis. Duos habet *circulos* diaphragma, carneum & membranosum, venis, arteriis, nervis & tunicis instructos: *duo* quoque *foramina* pro œsophago descendente, & vena cava ascendente. *Defendit*, ut dixi, fuligines intercipiendo. Præterea, *ubi adest*; *respirationi* servit: *sine hoc tamen aves respirant. Pleura* verò *costas succingit*, orta circa spinam dorsi, à meningi-

bus

bus Cerebri cum medulla spinali prolongatis, & unà cum nervis per foramina vertebrarum prodeuntibus, ac deinde per latera costarum protensâ. *Mediastinum* oritur ex *concursu pleuræ*, cujus partes circa os pectoris ad principium suum recurrunt, pulmones in partes dextras & sinistras dirimunt, ac hâc ratione mediastinum faciunt. *Pericardium* verò regium quasi propugnaculum *Cor* ipsum inhabitat; *Confer* Gal. 6. *de Usu part. l.7. administrat. Anat.* Inter *Cor* & *Pericardium* aqua sita est. In ipso Pericardio verò *quinque* sunt *foramina*, pro *vena cava* egrediente, ingrediente; *Aortâ, Arteriâ venosâ, Venâ Arteriosâ.* In diaphragmate nota Venas phrenicas per quas pus sæpè è pectore purgatur, qua de re vide *Severinum* in absces. *Galenus* enim vidit jam olim pus ex vomica in pulmone rupta per urinam excretum *6.loc.a.aff. c.5* quem falsitatis non insimulasset *Matthiolus epist. ad Jul. Alex.* si Anatomen penitius sciviſſet. Res tamen rarior est, adeò ut Illustrissimus

Guido Patin, Riolani in cathedra Successor longè dignissimus, ab annis 33. ter saltem viderit.

III. Ipsum *Cor* varias partes habet, *Adipem*, *Tunicam externam*, *vasa triplicia externa*, *Carnem*, *auriculas*, *sinus*, *septum*; *vasa quatuor interna*, *valvulas*, *ossa*.

Quod *Adipem* attinet, non tam facilè ille liquatur, ut *pinguedo* aliâs; inter *adipem* enim & *pinguedinem* differentia est. *Quâ fronte* autem (inquit *Plempius*,) hoc viso adipe adipis efficiens esse frigus, aut moderatum calorem quidam effutire ausint. Et dicant obsecro cur ad membraneum pericardium non accrescat? *pag. 194.* A *frigore*, Plempi generari non puto in genere. A *calore moderato*, dixi *pag. 28.* *Cordis* verò *calor* huic *adipi*, ita respondet, ut non liquetur. *Pericardio* autem cui usui esset *adeps*? Natura præter necessitatem non multiplicat Entia. *Hic* enim *adeps*, qui *Cor humectat*, optimè simul *Pericardii aquam* calc-

calefacit, ut *Renum adeps Renes* quoque. *Tunica exterior* tenuis est, & arctè cordis carni impacta. *Vasa* quod attinet *externa*; *Vena* soboles est *venæ cavæ*, *Coronaria* dicta, comitem habens exiguam arteriam; quam multi viderunt, licet diligentissimus *Plempius* eam non viderit. *Nervi* à sexto conjugio orti, non motui servientes, uti olim jam ante *Plempium* docuit *Lauremb.* contra *Piccol.* *Caro* vero Cordis compacta est, Hinc *Hippocrates* Cor dixit Musculum. Differre verò Cordis carnem à musculo *Plempius* putat *pag. 199.* quod multo solidior sit, & omni fibrarum genere confusè intertexta. Sed mi *Plempi*, musculi *temporalis* caro etiam est *compactior*, quàm reliquorum musculorum. Ergò non erit musculus. *Fibræ* verò non ita confusæ positæ sunt, ut non abeant in *fibrosum carneum apicem*, instar *tendinis*. In *corde* constrictio si fiat, fibræ in latum distenduntur, uti *elatiores* fiunt alii musculi. *Germanici* Drus. F. Cor adeò ferreum à veneno fuit, ut nequiverit con-

cremari, teste *Suetonio* & *Plinio*. *Auriculæ* sunt frustula carnea, ob similitudinem *auriculæ* dicta. Moventur continuò cum corde, *Dextra* major & laxior est: *Sinistra* durior & compactior; *hæc* assistit *arteriæ venosæ*, *illa venæ cavæ* ostio. Ut *binæ* sunt *auriculæ*, ita *quoque duo sinus* seu *ventriculi*; *dexter* & *sinister*. Animalia quæ *pulmone* carent, *dextro* carent *ventriculo*. In magnis animalibus *dexter ventriculus ad lævum* latus est, habetq; *processum* quendam, aut *excrescentiam*, quâ *Aristoteles* motus, *tertium* statuit *ventriculum Cordis*. Dexter *major*, sinister *minor* est. *Dextri membrana* tenuior, *sinistri* crassior. *Septum intermedium* paries est, qui dividit dextrum & sinistrum ventriculum. In *dextra parte* hæc membrana *convexa*, in *sinistra concava* est. Per *septum* hoc è *dextro* ventriculo *sanguinem* non colari in *sinistrum*, asserit *Columbus*, *Botallus*, *Ulmus*, *Varolius*, *Laurembergius*, *Folius*. *Gassendus* contrarium docet pulchrâ observatione. *Cum Aquisextiis degerem*,

(in-

(inquit) *quoties dissectio celebrabatur, intereram frequens theatro Anatomico. constanter autem pluribus annis observarem dissectores, dum cor haberent præ manibus, tentare ferro obtusiusculo, quod spathulam vocant, ipsius septi penetrationem, concludereq; cum Medicis transmissionem sanguinis è dextro sinu in lævum debere per transudationem insensibilem fieri. At cum disputari contigisset ante octo annos de professione Anatomes, adfuit inter Antagonistas Chirurgus industrius, nomine* Payanus, *qui rem secus esse spectantibus nobis demonstrare voluit. Is itaque spathulam usurpans, mediastinum cordis penetrare aggressus est. Id verò tentavit non rectà, ut alii: sed extremo primum ferro sub ingresso (mille siquidem januæ, quæ septi est textura, patent,) progressum ferit leviſsime; quippe ferrum rursum, deorsum, & ad latera patientissimè contorqendo, exploravit semper ulteriorem aditum. Quid moror? facta demum est in lævum usque sinum penetratio. Cæterum autem quia nos causabamur*

factam fractionem aliquam; jussit ipse novacula ad ferrum usque septum incidi. Sectione factâ, nihil prorsus fuisse temeratum deprehendimus: sed meatum solum, seu canalem observavimus (etsi per varias quasi mæandros & cuniculos circumductum) membranula tenuissima, politissima intectum. Hæc Gassendus *pag. 3. cap. 17.* At *meatus* illi *spathulæ* debentur potiùs, quàm *naturæ*. Revera enim nec membrana illa adest, nec ulli conspicui meatus, per quos sanguis deferri possit, ut ipse *Plempius* in corde bubulo elixato eas conspicere non potuerit. Novit interim Natura *meatus invenire nobis invisiles*, inquit Plempius. *Quàm copiosus sudor per cutim sæpè erumpit, quàm ubertim semen è glandulis & vesicis spermaticis in meatum urinarium! neutrobiq; tamen observes manifesta foramina.* At, mi *Plempi*! Quæ necessitas cogit nos fugere ad *invisiles* & *cæcos* ductus, ubi patent *viæ commodissimæ aliæ* derivandi sanguinis è dextro in sinistrum ventriculum? Per septum ergò hoc cordis

san-

sanguis non fluit in sinistrum cordis ventriculum. Nec obstat *Brodbeccii* nupera observatio, cum in statu præternaturali *Clarissimus ille Vir* foramina viderit. Quod *vasa 4. interna* attinet, sunt ea, *Vena Cava, Vena Arterialis, Aorta,* & *Arteria Venosa.* Illarum sedes est ad latus dextrum; harum ad sinistrum. *Valvulæ* sunt II. *quarum* aliæ *tricuspides* sunt, aliæ *semicirculares.* Vena cava & arteria venosa habent tricuspides. Vena arteriosa & Arteria Magna verò semicirculares. An vasa hæc *radices Cordis* sunt Cappadocis apud *Plautum? Ossa* tandem quod spectat, in *cordibus magnorum animalium* reperiuntur ossa. In *hominis* corde *os* nunquam vidit *Plempius,* nec ego, cum hæc primò exarârim, Vidi postmodum teste *Decad. I. Observ.* Viderunt tamen *Gemma,* & post hunc *Riolanus* in Præside *Nicolao.* Concretam albicantem pituitam in sinistro Cordis ventriculo vidit *Fontanus*; Carunculas *Clarissimus VVormius,* olim Præceptor noster; pinguedinem *Bauhinus. Con-*

fluentiæ nuper mortuus est puer, in cujus corde inventus est *vermis alatus*. Ita Londini in Anglia *Eduardus Maij*, in *Johannis Penant cordis lævo sinu* anguem bifidum flagellosum vidit : *vaginulæ sub flavæ concrementum*, *Marcus Aur. Severin.* in corde P. Menenini : Lapidem *Jacotius* : Polypum *Kirstenius*.

IV. Ex enumeratis cordis partibus *vasa quatuor interna* Cordi *materiam adducunt & abducunt*; ut ita Cor *perenni* suo motu vivificum sanguinem, spiritum & calorem *partim* elaborare, *partim* de se totius corporis partibus communicare possit.

Quomodo hoc fiat, intricatum est. Fit verò modo sequenti. Primò *vena cava* sanguinem mittit in *dextram Cordis auriculam*, quæ tum se constringens (*Sancta Cruz. l. de Hipp. Philos. t. 42.* primum Cordis motum in Embryone putat *dilatationem*, nõ compressionem) receptum sanguinem in *ventriculum dex-*

dextrum Cordis pellit, quo repleto *Cor* dilatatum pulsum edit, sanguinemque impetuosè, *Gal.l. an sanguis, 4.3 fac.nat. 15. sent. Hipp. 8.* protrudit per *venam arteriosam* ob valvulas intus apertas foras spectantes in *pulmones Gal.l. 6. de V.P. 11.* è quibus sanguis redit per *arteriam venosam* ob valvulas foras introspectantes, foris scil. apertas intus hiantes, *Gal. 6. Usu. part. 20.* in *ventriculum sinistrum*, ex hoc in *aortam*, ex hâc in *arterias* totius corporis, ex his in *venas* denuò, ex his tandem iterum motu circulari in *cavam*, atque rursus in *dextram Cordis auriculam*, instar Solis, ventorum, fluminum, *Eccl.1.v.5.6.7. Flud. Harvejus VValæus, Regius, Drake, Fontanus, Conring.* Hanc opinionem nuper *Angliam* peperisse, *pag 203.* conqueritur *Plempius* noster. Falsitatis autem eam arguit, quod evulgans *Harvejus præsupponat, 1. sanguinem* debere ad cor recurrere, ne à suo fonte longius diutiusq; semotus coaguletur: *2. Sanguinem* copiosius è vena cava transmitti in ar-

terias pulsu Cordis, quàm ab assumptis suppeditari, adeoq; totam massam brevi tempore illas pertransire. 3. *Sanguinem* copiosius in singulas partes distribui, quam ad nutritionem necesse sit: 4. *Ab una* quaquè parte venas hunc sanguinem reducere ad Cor. *Falsa* hæc præsupposita putat *Plempius*. Sanguinem non coagulari in venis cadaveris, ne dum in vivo animali. Vivificari insuper à spiritu vitali influente, qui etiam venis impertitur ab arteriis per anastomoses. *Hæc objicio* (pergit *Plempius*) 5 *secundum illam sententiam omnes partes nutritum iri sanguine arterioso, at quædam tamen crassum postulant. Deinde* 6. *sanguinem arteriosum & venosum planè similem, imò eundem fore, quod repugnat autopsiæ, ille flavior & floridior, hic nigricantior & tristior est. Præterea materia* 6. *febrilis consistens in venulis à corde remotis usq; adeò, ut febrim intermittentem efficiat tantùm:* deberet *plures de die accessiones facere; toties scilicet,* quoties *fit sanguinis illius & simul materiæ*

febri-

febrilis circulatio seu reditus in cor. Quod si circulatio ista tardè fit nec nisi semel de die, vel tertio quoque die: quicunq; humor ubicunque consistet, sive in propinquis sive in remotis à corde venis semel in die vel tertio quoque die accessionem faciet. Hæc verò quàm absurda! Denique & fortissimè, in vivo animali ligatis venis plenisq; ad crus aliquod tendentibus, liberis relictis arteriis, deberet crus illud brevi temporis spatio mirum in modum tumescere; eo quia sanguis continenter per arterias influeret, nec reflueret per venas. Atq; tantum abest, ut hoc fiat; ut potius, si diu sinas ligatas venas, pars extenuetur defectus nutrimenti. Hoc experimentum quilibet facere potest, qui non credit. Ficulnea prima est objectio *Plempiana*, jam ante Plempium à *Primi Rosio Harvejo* objecta *pag 98 Edit. Londin.* Aliam ejusdem tamen levitatis hanc in rem meditatus est Parisanus, pag. 198 Ad meliorem conservationem motus ille facit, quomodo aquæ ne vitium capiant commoventur, dicente *Cl. Conringio*,

pag.349. obstructis verò vasis, Mi *Plempi*, sanguis ne servatur in sua integritate? Non ausim ego hoc dicere, multò minus id, quod tu tribuis cadaveris sanguini. Spiritus verò tuus influens non sufficit, ut calidus & perfectus ac integer maneat sanguis. Sanguis enim in debito *calore* & *spiritu* persistere non potest, nisi accedente motu: uti fusius hæc explicat *Conringius pag.348.* Ad 2. 3. & 4. nil dicit *Plempius*, nec *ego*. Ad 5. dico, *Arteriosum* & *Venosum* sanguinem non differre, nisi quod *Ille* recens, *venosus* non. Si uterque refrigeretur, Mi *Plempi*, hunc ab illo non distingues. Quô igitur, *partes* delectantur, *eum* ad se rapiunt. Ad 6. verò annon respondet *Harvejus* ipse *c. 16.* exemplo corruptæ materiæ ad cor ascendentis? Sed non opus est, ut *sanguinis circuitum febriles sequantur accessus*: cum causa febrium sæpe sit in materia *in* & *extra vasa*. Illa verò *materia* non *circulationem* sequitur, sed *putredinis* naturam, indeq; resultantes fuligines. Ad *ultimum* verò

nota

nota in tali casu *venas* penitus *occlusas* non esse. Liga, Mi *Plempi*, brachium supra carpum, videbis venas semper distendi, carnem intumescere insuper & rubere. *Dixi* autem superius *Circulationem* hanc fieri à *Pulsione*. *Caterùm ne hæc quidem* (inquit Cl. *Conring. pag.334.*) *rem omnem satis expedit. Namq; vivorum animalium sectionibus observare est nonnunquam omnem sinistri cordis sinum impulsum dudum desisse, imò corde interdum evulso supereße in vivis satis validum sanguinis motum. Ipse* Harveus capit. 10. *multa adfert experimenta ex piscium ac serpentum sectione capta, quibus probet constricta infra cor vena cava subito ad cor transire illum qui eis vinculum est sanguinem: at is non propellitur amplius à subsequente sanguine propter interceptum vinculum. Licet autem hoc ipsum notare etiam in quavis alia vena si ligetur; concidit enim eis vinculum, & sanguine vacuatur impulsu omni prohibito. Quæ certa sunt indicia, omnem in venis motum non unicè à propulsione profici-*

ficisci. Ne in arteriis quidem omnis motus hinc dependet: Namq; etiam hoc colligere est, eò quo arteriis vinculo constrictis, trans vinculum sanguis non amplius propulsus, tamen moveatur arteriis flaccescentibus. Sed ne adeò celeriter sursum per venas ex pedibus posset ascendere sanguis, si tantum propelleretur, ut unda undam trudit, præsertim cum hic motus sit corporis gravis sursum elatio. Quæ causa porrò sit, cur in fœminis mense quovis ad uterum feratur sanguis, non tamen æquabili ratione ad omnes partes feratur, quum ratione impulsûs nullum sit discrimen? Ad hoc chylus fertur per lacteas, non adjuvante cordis impulsu; saltem ergò potest sanguis etiam alia causa moveri. Non assequor. Discendi cupidus erudiri volo penitius. Non enim Pulsioni *obstat* in venâ ligatâ cis vinculum sanguinem evacuari omni prohibito impulsu. Prohibetur inquam illa pulsio ligaturâ. Ligatâ venâ Cor pellere desinit, qua pulsu deficiente sanguis petit centrum. *Arteriis* flaccescentibus trans

vin-

vinculum sanguinem moveri non vidi; si arcta instituatur ligatio. A pulsione verò fieri patet, quod in diastole arteriæ nullum emittũt sanguinem. Quod venas crurum attinet, aqua contenta canalibus ascendit, ut descendit. *Menstrui* ratione discrimen est impulsus. Quotidiè & quâlibet horâ pulsio fit, circulationem producens: Menstruo verò tempore impulsus ad venas uteri accidit, cum menstruo demùm tempore dolor lumbos & latera occupet. *Chylum* attrahit Hepar. Alia ratio motus chyli, alia Circulationis nostræ. *Sed* dies diem docebit. De *motu* nota, quod *Baconus* & *Bartolinus* motum viderint corde evulso in latronibus; egoq; in *cane*. In *ranis* res non mira. *Gravem* autem insuper difficultatem, *Circulationi* parere videtur *Lactis Generatio*. Mirum enim videri posset cuipiam, circulationem dictam fieri posse, etiamsi quotidiè tanta lactis copia, tanta sanguinis copia corpori abscedat? Verùm me judice non tantum ex *sanguine*, sed chylo fit

lac.

lac. Ex *chylo* & nobiliori quidem per *pancreas* ad *mammas* delato. Testatur id diversitas *venarum lactearum* & *rubrarum*, quas Mammæ continent, & in conspectum se dant in hæmorrhagiis. Testatus & olim hanc rem *Cous* noster *l. de nat: pueri. 1. de morb. mul. s. 5. 2. Epid. s. 3. v. 130.* Ita exponit lactis generationem doctè satis & nervosè *Veslingius* & *Prosper Martianus com. in Hipp. lib. de nat. puer.* quem secutus *Slegelius* Celeberrimus, νῦν ἐν ἀγλοις. Confer observat. *Scharandæi* pro *chylo:* pro *sanguine Ronsei.*

V. Enumeratis *partibus minus Principibus* accedit *Pulmo*, tum ipsius *Circulationis*, tum verò *respirationis* gratiâ. Constat Pulmo *tunicâ, parenchymate, lobis, nervo, venâ arteriosâ, arteriâ venosâ, asperâ arteriâ.*

Ex iis, quæ supra dicta sunt, patet ipsi quoque *Circulationi* Pulmones inservire, cùm per *ateriam venosam* sinister

Cor-

Cordis ventriculus sanguinem recipiat. Per *septum* nõ venire, superius *p.64.&67.* dictum. *Cæcilius Folius Fananensis* aliam repertam viam gloriatur. *Natura*, ait pag. 229. *Anastomosen Venæ cavæ cum arteria venali hoc ideo effermavit, ut nempe transitus à dextra in sinistram auriculam sanguini præberetur, quod Galenus, cunctiq; cum eo Anatomici concessêre. Igitur & in adulto eadem uti via credendum erit*, uri fusius ea exponit in tractatu suo & tabul. Non hoc novum inventum est, ergò nec novam meretur replicam. Quæ *Botallo* responsa sunt, ea diluunt quoque *Cœcilii* dicta; quâ de re vide *Genitoris* nostri *Ex. Anat. 8. & 12.* foramina enim illa fallunt. Ante *Folium* hoc voluisse videtur *Habicotius*. Ipsum Pulmonem in pluribus pleuræ connexum vidimus, *inquit Plempius p. 206.* modò in altero latere, modo in utroque. Quæ observatio in vulneribus thoracis magni momenti est: nam in causa plerumq; est, ut Medici decipiantur penetrantia thoracis vulnera minimè

mè agnoscentes, nempe hoc Cheirurgorum axioma verum perpetuò arbitrati : *Omne thoracis vulnus penetrans exspirare*; At in illis, quibus hæc pulmonis connexio cum membrana succingente contingit, possunt vulnere thoracem penetrante laborare absque eo, quod vulnus exspirat. *Sed* illa annexio, quam *Columb.* debes, non est naturalis, unde nec hujus loci. Liber enim Pulmo debet esse, & non impeditus ad motum. Si verò pleuræ annectatur, anne manet liber, aut non impeditus ad motum ? Minimè gentium. Annexus quidem est mediastino, vertebris dorsi & diaphragmati, sed illa connexio non impedit quo minus liber, & non impeditus maneat ad motum. *Motus* hic an *spontaneus* sit, dubitatur ? *Spontaneo motu* moveri ferè concedunt omnes. *Pulmones verò per se moveri motu spontaneo* (inquit Plempius) *non volo : sed dico moveri illo motu per accidens, ad motum scil. thoracis ; qui cum animali motu sine controversia moveatur, etiam pul-*

mo

mo eodem modo agitari est dicendus, pag. 206. Vera hæc sunt, si cum grano Salis accipiantur. Moventur quidem ad *motum* thoracis ipsi *pulmones*, sed *motu proprio non thoracis*. Etiamsi musculosis fibris destituantur Pulmones, non tamen negandum, quin sui generis *fibras* habeant, quæ ad motum hunc ab insita facultate ipsis concessum inserviant. Non tamen moventur pulmones *spontaneo* seu *Voluntario*. Pulmonum enim motum non præcognoscimus, quia pulmones ventilantur, etiamsi nemo cogitet se respirare: Imò exolutis animalibus facultatibus respiratio sola remanet. *Ego quicquid alii dixerint*, infert Plempius, *animalem seu spontaneum esse ejus motum contendo. Nam eum tardare, accelerare, sistere, pro arbitratu nostro possumus: quale imperium in nullos motus actionesq; naturales habemus*: à quibus non abludit *Cl. Sebitius, Ex. 24. probl. 2.* sed non quælibet intensio & remissio facit motum voluntarium, sed ea solùm, quæ rei secundum naturam & non violen-

lenter convenit: At pulmones præter naturam & violenter impediuntur in suo motu. *Ad* objectiones ita respondeo. Ad *primam*, quæ *Archang Piccolomineum* redolet, dico: impossibile esse, ut sarta tecta maneat respiratio, si pulmones adnascantur (quicquid dicat *Massa* & *Riolanus*. à quibus hæc habet *Plempius*) in alio loco, quam ubi decet, *qua de re dictum p. 78.* Cõcesso enim præsupposito, *thoracis motu moveri*, nihilominus sequitur tunc *læsio respirationis*, cum debitè *dilatare* se non possit, ut *Gibbosi* experiuntur. Ad *secundum* dico *ipsum* pectus potius ad pulmonum motum se applicare, quod laxi indicant pulmones & parvi. Ad *tertiam*: Contrarium produco. Sæpe enim vulnerato pectore moventur pulmones. Quod autem ille motus non diu duret, in causa est externi aëris ingredientis frigiditas, quæ facultatem per calorem agentem obtundit. Ad *quartam* notandum do, posse nos contrahere & extendere pectus cohibitâ respiratione: quod autem

pulmo

pulmo non moveatur sine *concursu* motus thoracis accidit, ne plus aëris per pulmones in thoracis cavitatem transpiretur. Addo & hoc: Ipsa vi influente sæpè læsâ respirationem supereſſe. Sed is motus *objicit* Bartolinus *p. 224. contra tertiam nostram responsionem*, non est dilatationis & constrictionis substantiæ pulmonis, qualis pulmoni naturalis; sed est motus sursum & deorsum integri lobi, qui motus accidit, quia pulmo mediastino, mediastinum diaphragmati adnexum sit, & pulmones quoque diaphragmati adsiti, &c. *Quomodo verò*, Mi Bartoline, *diaphragma sola motus causa esse potest, si ipsum jam concidit, nec amplius movetur? Depresso verò thorace surgit pulmo, quia utriq; motus*, uti dictum ad quartam object. *concurrunt*.

Concurrunt inquam, *differunt* tamen & omninò contrarii sunt, cum inspiratione diaphragma contrahatur, *pulmo* extendatur. Ipse *Pulmo* pars princeps vitalis non est, ut vult *Plempius*. Non enim pars est absolutè ad vitam necessaria,

ria, sed potius ad commoditatem *Cordis*; *Cordis* inquam *gratiâ* necessaria est. Quædam animalia pulmonibus carere *dixi*, pag. 64 Pulmone scil. *propriè dicto*: Aliâs nullum animal caret pulmonibus latè sumptis *Pisces bronchias* habent ad Cordis refrigerium à natura. Imò in *homine* quandoque deesse *Pulmonem* p. n. Observat. testantur. Ejus loco *vesicam* in puero 4. annorum vidit *Pontanus*. *Lobi* pulmonum 4 sunt In Carolo Sabaud. Duce quintum vidit *Puteus*. Si annectantur, sequitur morbus, uti obiter notatum p. 78. Probat hoc *Johannes Bauhinus*, in ipsis præterea pulmonibus *ossa* vidit Columbus; *Calculos* Galenus, Trallianus, Ægineta, & alii; *animalia* Avenzoar, Alsaravius. Præter respirationem occupatus quoque pulmo est, in efformando sermone, mediante linguâ & asperâ potissimum arteriâ, quâ de re inferiùs.

SECTIO

Sectio III.

De

EPATE, ET QUÆ HUC SPECTANT.

I.

SUccedit *Hepar*, tertium membrum Princeps, naturalis facultatis Organon.

Naturalis facultas non hic sumitur *Latè*, ut in se comprehendit virtutem *nutritivam* & *generativam*; *Strictè* hîc sumitur pro *facultate naturali*, quæ *nutritionem* spectat solùm, *uti* superius indicatum est *pag. 31.* Hepar autem princeps organon est hujꝰ facultatis, omnes enim reliquæ partes nutritionem spectantes, huic inserviunt, ac continentur *infimo ventre*, uti *vitales medio*, *animales supremo*. *Epar* capræ exsectum moveri *Josephus* tradit in histor. Davidis. Confer *Petr. Comest. Procop.* & *Theodor.*

II. Defendunt autem *hepar* Partes continentes Infimi ventris *Communes* & *Propriæ*. *Propriæ* sunt *octo musculi abdominis, peritonæum*, & *ossa*.

De *Musculis* infra p. 1. c. 2. s. 1. thes. 3. De *ossibus* supra part. 1. cap. 1. Portionem *musculi recti* in Castris Cæsareis Wetterfeldæ 1647. abscindi curavi militi vulnerati in abdomine, citra noxam secutam. *Peritonæum* membrana est totum infimum ventrem describens. *Arabibus* hæc membrana καθ' ἐξοχὴν *Siphac* dicitur uti patet ex Aben Sina *lib. 1. f. 1. doctr. 5.* Aliàs quamlibet notat *tunicam*, v. g. *Siphac Cerebri*, supra p. 33. ex l. 3. fen. 1. tr. 1. c. 2. meninges sunt Cerebri. Notat, inquam, in genere tunicam quamvis, forte an à Græcorum σύφαξ, quod specialiter exuvias ranarum, cancrorum, si Encelium sequaris, notat, generaliter verò δέρμα.

III. Ipsum *Hepar* situm est sub *diaphragmate* in *dextro hypochondrio*,

drio, internè *cavum* est, externè *gibbum*, instructum *1. venis*, *2. arteriis*, *3. nervis*, *4. carne* propria, & *5. membrana*, quæ id vestit. Annectitur *diaphragmati* valido ligamento, *umbilico* verò umbilicali vena. *Actio* ejus est *sanguificatio*.

In dextro *hypochondrio* situm est *naturaliter*, monstrosè quandoq; *sinistrum* occupat, uti expertus *Gemma* & *Sperarius*. Quod *quantitatem hepatis* attinet, hepar humanum majus est, quàm ullius bruti. Est tamen *naturaliter* constitutum integrum & indivisum, ut bovis hepar. Reliquæ bestiæ hepar habent diremptum. *Plempius* verò & bovis & hominis hepar lobos habere contendit, pag 224. *Sunt autem in humano jecinore*, (inquit Plempius) *hi lobi quinque*: Primus *est extuberantia prope venam umbilicalem*: alter *una porta*: *tertius altera porta*: *quartus pars extans gibba ad diaphragma? quintus pars tegens ven-*

triculum; *hæc aliquando adeò se extendit, ut ad sinistrum latus porrecta ventriculi fundum contegat.* At profectò non sunt propriè dicti lobi. *Primus* fissura potius est, quàm lobus. *Secundus* & *tertius* sinus sunt; *Quartus* quoque & *quintus* idem merentur judicium. *Lobi* verò distincti sunt radicibus, & quasi referunt hepata plura: quod certè *extuberantia, fissuræ* & *sinus* humani non faciunt. *Præternaturaliter* in lobos divisum *humanum Epar* vidit *Sylvius, Puteus, Gemma*, qui duplex aliquando *hepar* vidit, ut *Tulutanus* nullum in *Ortelio*, & in *Gallo Mermannus*. Abscissam portionem hepatis vidit *Hildanus*. Pronuper Comitis à Kirchberg servus pugione læsus in *extuberantia hepatis* à Camerario Erpacensi, nono die convaluit, utut primis diebus magna copia sanguinis per alvum profusa fuerit. (1) *Venæ*, quibus *Hepar* abundè perfusum est, sunt *Vena Cava, Vena Portæ*, & *Vena umbilicalis*. In ipso *hepate* venæ hæ nullas habent valvulas. In parte cava *Portæ* est;

in

in Gibba *Cava Vena*. *Umbilicalis* fœtui dat alimoniam: in adultis autem in *ligamentum* abit. Quandoq; verò *hæc vena*, ut & *reliqua vasa umbilicalia* aperiuntur iterum à *Salsis acribus humoribus defluentibus*: uti notat *Fernelius* & *Laurentius*. Ipse novi *sexagenarium nobilem*, cui menstruo tempore sanguis prodit ex umbilico. In vicinia *puer septennis* patitur idem ferè malum. Huic cottidiè *serum* instar lotii stillat ex umbilico, quandoque *floridus sanguis*, ex hoc capite, quod *aperta* sint *illa vasa*. Varia adhibui *externa* & *interna exiccantia* & *consolidantia*: Sed huc usque omnia frustra. Triplicem venam umbilicalem ex uno hepate uterino vidit *Beslerus*. (2.) *Arteria magna* arteriolas plurimas hepati committit, exiles tamen & tenues. (3.) *Nervi* à sexta conjugatione oriuntur: à sexti paris *interno*, (loquor verbis Excellentissimi *Veslingii* pag. 31.) dextro *externoq;* siniſtro prodeuntes. (4.) *Caro* hepatis, seu parenchyma, est instar sanguinis concreti, coloris rubei. *In aliis*

Cæruleum est, inquit *Plempius*, in *aliis album*. At Naturaliter *purpureum* est in *adultis*: in *Embryone* albicans. *Bronterus* vidit viride lampetræ: subpallidum *Fontanus*: In *pullis nondum excluſis luteum* est. (5.) *Membrana*, quæ epar amplectitur, tenuis est & simplex, directè ipsi Epatis carni adhærens. *Præternaturaliter* quandoque attollitur in *vesicas aqueas*, à quibus hydrops, uti expertus Felix ille *Platerus*. Quod ipsam *sanguificationem* attinet, id munus Plempius *venis*, non *parenchymati* adscribit, secutus *Joubertum*, *Piccolomineum*, *Bauhinum*, *Schekhium*, *Spigelium*. Galeni promit authoritates *l. 8. de nat. fac. c. 9. l. 1. de usu part. c. 16. l. 4. c. 16.* *Non necesse est* (infert Plempius) *ut humor in sanguinem vertendus ad jecur pervadat. Nam dum quis per inediam aliqualem exhaustus & debilitatus jusculum carnis sumit: existimo, jus illud statim rapi à venis ventriculi, vicinisq; alius, ibidemq; mutari in sanguinem: & non debere in ventriculo morari ut concoquatur, deinde*

deq; per pylorum in inteſtina delabi, atque ex iis per venas meſaraicas in portam, ac denig; in jecur. Hoc enim non ita fieri declarari mihi videtur ſubita ac repentina virium inſtauratio. 2 Præterea *venæ pituitoſum ac crudum ſuccum in ſanguinem vertunt, ut paſſim eſt Medicorum omnium opinio. Ergò venæ ſanguificant.* Aſt (reſpondent communiter Autores) δευτέρως *venæ*, πρώτως *parenchyma* ſanguificat beneficio *caloris inſiti* chyli, & *adſciti* epatis. Non ſolæ venæ opus hoc præſtant, non ſolùm hepatis parenchyma, quod olim voluit *Veſalius, Columbus, Argenterius.* Ad *primam objectionem* dico: falſum eſſe præſuppoſitum. Non ſequitur: virium *ſequitur inſtauratio* ſubita à *juſculis.* E. venæ ſolæ ſanguinem efficiunt. Id accidit, quod venæ illæ chylum accipiant, quem inedia requirit. Ad *ſecundam* dico, ſequi exinde nil, quàm & venas facere ad ſanguificationem. Id verò probandum fuiſſet, quod ſolæ venæ præſtarent, de quo quæritur.

IV. Miniſtrat & inſervit ipſi *Hepati Ventriculus*, materiam præparando; cibum maſticatum per *æſophagum* recipiendo, & in *chylum* mutando. Hunc recipit partim *Lien*, partim *inteſtina*, quæ bonam partem per *Meſentericas lacteas venas* ad *hepar* partim, partim ad *Mammas* mittunt; *inutilem* verò *materiam* per ſeceſſum ope *muſculorum* abjiciunt.

Cibum urgente fame recipit *Ventriculus*, & mutat in *chylum*. Fames poſt jejunia maximè urget; unde etiam *Dulciſſimus Salvator*, cum *jejunaſſet 40 diebus & 40. noctibus, poſtea eſuriit*. Antequam fiat *coctio*, inſtituitur *fermentatio*, quam fieri putat *Bartolinus ex ſententia priſcorum ob Melancholicum humorem per vas breve effuſum in ventriculum*. Sed aliquando id deeſt. Putant quidam hanc rem expedire *ductum Pancreatis Wirſung*. Expurgari per pancreatis ductum

ctum, inquit Celeberr. *Veslingius*, ad duodenum acrem, & facultate similem bili succum, in syntagmate nuper recuso publicè docui. Nam & in pancreate chylum sæpe reperi, & in ejus ductu qualem innui succum, quamvis in cadaveribus ferè vacuus deprehendatur. Qui fermentum in eo ventriculi servari contendunt, sensui oculorum primùm satisfaciant; dein causas memorent, cur nullus ductui cum ventriculo nexus; cur tam amplo orificio in Duodeni finem exporrigatur. De sero libenter consentio, quod à chylo separatum; saltem id acre, dilutoque sale perfusum esse concedant. Neque inficias ibo supervacua quædam lienis eâdem hâc viâ expurgari posse, cùm meatus Pancreati Lieniique communes, fortuitò, ab inhærente crassiore materia obstructos, dudum notaverim. *Hæc* ille; *Hunc* sequere. Considerandæ sunt in ipso ventriculo *orificia*, *membrana*, *venæ*, *arteriæ*, *nervi*, *fibræ*. Inferius *orificium* jungitur cum primo intestino: Superius

cum gula. *Fibrarum* aliæ *rectæ* sunt, aliæ *obliquæ*, aliæ *transversæ*. *Primæ* cibum trahunt, *alteræ* eundem retinent, *tertiæ* coquunt & expellunt. *Nervi* à sexto pari prodeunt. *Arteriæ* à ramo Cœliaco. *Venæ* à Portæ vena. *Membranas* tres habet *ventriculus*. *primam* debet peritonæo. *Altera* carnosa est, *tertia* rugosa. Ubi carnosus est ventriculus, ibi vulnera non sunt simpliciter lethalia. Testantur id rustici Pragensis & Regiomontani exempla. *Emplastrum* verò de *Magnete* illo, & tali in passu ob vim tractivam malè applicari, notat *Kircherus* de Magnete, pag. 689. *An sanguine, an chylo Ventriculus nutriatur*, solenne est Medicis disputare. *Plempius* utrumque asserit *pag. 213. Chylo nutriri ventriculum*, probat *Galeni* autoritate *3. de nat. fac. 7. 12. & 13. com. 2. aph. Hipp. 18* quod olim fecêre *Vallesius*, *Joubertus*, *Zoaretz*, *Fallopius*. At certè non *veram* nutritionem, sed *impropriam* lascivam dictam intelligit *Galenus*, uti colligere est ex *4. de usu part. 1.* qui locus allatis reliquis respondet.

det. *Ipsum* verò *chylum* partim recipit *Lien*, partim *intestina*. *Lienem* liquida attrahere, liquidò constat. Per *quas* verò fiat *vias* illa tractio, nondum constat penitius. Communis est opinio, per *venas* & *arterias gastricas*, *vas* item *breve venosum* & *arteriosum* elici quidpiam ex *ventriculo*, uti pulchrè hãc rem exponit *Clariss. Sennertus c. de hydrope. Junior Hofmannus* Wirsungianum allegat ductum. Contra Gastriças verò venas inquit ingeniosissim⁹ *Conring*. pag. 39. pugnat valvula, quæ ex illis per ramum splenicum in lienem ne quidem aërem intromittit. Vasi porrò brevi fortassis objici possit, quod per illud natura soleat ex liene melancholicum succum in ventriculum ejicere. Tanti certè hoc argumenti genus fecit ingeniosissimus vir *Averroës*, ut hoc uno omnem chyli attractionem lieni denegaverit. *Et paulò post:* Vasis brevis illa attractio validius potest oppugnari, eo quod vas illud sæpe in corpus lienis non inseratur. Oritur enim ex ramo splenico quidem

semper, sed modo antequam ille in lienem ingreditur, modo quando ingressus est. At ubi in lienem non commeat vas illud breve, utique nec tum in illum quicquam adfert. Nam per ramum splenicum quidem nihil infertur, ut infra probabitur. Cæterùm, si neque arteriæ neque venæ faciunt ad illam chyli eductionem, manifestum est, dari aliquod vasorum genus ejus rei gratiâ quidem conditum, distinctum tamen à venis arteriisque hactenus notis. *Ipsum vas breve* addit Bartolinus, *quandoq; deest*, pag. 57. à quibus non abludit amicus *Fontanus*, & qui his viam monstravit *Walæus* Celeberrimus. Sed hæc non obstant. *Desit* vas breve! Natura si id deficiat, novit illum defectum supplere per venas *gastricas* & *arterias*, uti sæpè accidit. Nec obstant *valvulæ*, stante scil. sanguinis circulatione, quâ per dictas venas sanguis ad *ramum splenicum* movetur, uti per *vas breve* ad *Lienem*. Vas verò unum idemq; dare potest & accipere, ut *Averroi* satisfaciamus. *Venæ e-*

mul-

mulgentes è *cava* mulgent, & in *cavam*, non obstantibus *Bauhini* valvulis, refundunt. Etiamsi *Vas breve* non commeet semper *immediatè* in ipsum Lienem, etiamsi in *hoc*, ut & in *venis supra dictis* non reperiatur *albus liquor potulentus*: tamen per has vias tractio illa potest fieri. *In* emulgentibus enim etiam non videtur *serum*. Tenuis inquam portio chyli sanguinem non tingit, per sanguinem mear ad Lienem, ut vinum descendere videmus per aquam. Si verò *Vas breve* non ad ipsum pertingat Lienem, Lieni *mediatè* per venam splenicam potulentum adducit. Ex illa enim semper oritur, modò ante, modò post factam insertionem; quam rem non insulsè probat *Valverda*, exemplo Cardinalis *Cibonis*. Hinc μέλαινα νοῦσος Hippocratis: hincque μέλαν αἱματῶδες; unde *Möllenbrocii* adolescens plurimum sanguinis crassi, instar picis nigri & congrumati per vomitum rejecit: Doctorq; Juris *Gremsii*, aliusque Salisburgensis. Idem notavi ante decennium in

Consule Spirensi Dn. Ernesto Zinkio, ante sexennium in Magnif. nostro Dn. Cancellario, ante triennium in Nobilissimo Dn. Diden, omnibus Dei gratia adhuc superstitibus. Confer Excell. *Lindeni* puerperam. De *ustione* & *sectione Lienis* varia traduntur 1. Reg. 1. 5. Quinquaginta Viros, privatos splene non tantum *Talmudici* statuunt, sed & *alii*. Canem execto liene vixisse *Fludd* tradit, modumque *Cl. Scarbourgh* Magni *Harvei* uno eodemque anno cum *Riolano* nati & denati, Successor, exponit. Olim *Fioravantum* mulieri lienem extraxisse *Theusaurus vit. hum.* testatur: quâ de re consul. *Bartolin. Conringius, Mœbius, Lindenus, Tulpius, Rousetus, Bertinus. Fallopius* non disputat hanc rem, quoniam nunquam vidit. Idem *nos*. Lienis aliàs fœces & excrementa commodè purgantur per *hæmorrhoides*. Uti autem potulentum recipit *Lien*, sic chylum crassiorem coctum & perfectum *Hepar*, quæ tamen res longè est clarior & patentior. *Intestina* enim per *venas lacteas*

hoc

hoc præstant. *Intestina* dividuntur in *tenuia* & *crassa*. Primum *duodenum*, dodecadactilon dicitur à longitudine 12. digitorum. In nostris corporibus non excedit tres quatuórve. Succedit huic *Jejunum*, inter *quod* & *Duodenum* situs est *ductus bilari*[9]. Tertium *Ileum* dicitur, ultimum *tenuium intestinorum*. Hoc intestinum in *Hernis* ad scrotum præcipitatur, paritque aliàs affectum illum miserabilem *Ileum* dictum *Volvulum*: sæpiùs verò à *subsidendo*, rarò à *circumvolvendo*. Inter crassa primum locum *Cœcum* obtinet, quod unico tantum foramine constare videtur, cujus usus est, ut illud, quod laudabile est, in excretis in eo colligatur, & sensim per venas cœcales ex eodem exugatur. Imprimis hîc notanda *valvula*, quæ impedit quo minus quid à crassis intestinis ad tenuia regurgitare possit. Hujus *Valvulæ* inventionem *Plempius* tribuit *Bauhino*, eamque factam putat *Anno 1579*. *Varolius*, Parisano *teste*, prius eam novit 1572. & *Salomon Albertus* dudum antea in *Ca-*

store,

store, tandemque etiam in *homine* eam ipsam se reperisse scribit *Oratione* anno 1595. *edita*. *Pavvius* & *Falckenburgius* potius *circulum* putant esse, quàm *valvulam*, quâ de re vide *Cent. 1. Fabric. Hild.* *Plempius* utrumque non adeo absonum esse putat, frequentius tamen *circulum* esse, quàm *valvulam*. At lis est in verbis solùm. Quandoque *valvula propriè* dicta est, quandoque *circulus membraneus* valvulam æmulans & repræsentans: *Valvulam* hanc impedire dixi regurgitationem v. g. clysmatum, excrementorum. Si, inquam, *naturaliter* corpus constitutum est. *Præternaturaliter* ex intestinis crassis sæpè ascendunt clysteres, glandes, excrementa: uti *Galenus* testatur, *Matthæus* de *Gradibus*, *Primiros.* p. 154. *Paræus* & alii. *Cœco* verò Intestino annectitur *Colon*, & huic ultimum à situ *Rectum* dictum. Ipsa intestina *attrahere*, *retinere*, *concoquere* & *expellere* infert *Plempius*. *Retentionem*, *concoctionem* & *expulsionem* nemo sanus negat. De *attractione* dubium. Non enim

nim omnia inteſtina rectas habent fibras. Ubi adſunt, non tam attrahunt, quâm tuentur, uti Galenus probat, *c. 8. 4. de uſu part.* Ex ipſis verò *inteſtinis* chylus abit in *Lacteas*. *Lacteæ* illæ *Venæ* in *Meſenterii centro* deſinunt in *Pancreas*, & inde tranſeunt ad *Hepar*. *Pancreatis* igitur uſus eſt has recipere & fovere. Inſervit verò, uti quidam ſtatuunt, quos tamen *Veslingius* refutat, *fermentationi*, & *lactis generationi*, quando chyli portio defertur ad *mammas*, qua de re pag. 75. Plempius *lacteas venas* pag. 224. *ab Aſellio viſas non negat; negat tamen alias eſſe à communiter notis venis meſaraicis, quia non videantur niſi horâ ſextâ poſt paſtum, quo tempore chylus Meſenterium copiosè occupat, ita ut ab ejus albedine ſanguis tum tingatur albus, venæq; appareant albæ.* Ita ante hunc Jacobus Primeroſius *Aſellium* inveniſſe *vias quaſdam lacteas, pag. 100. inviſibiles inconſpicuas, in nullum truncum nec hepar deſinentes, &c. ſcribit. Profitetur idem p. 3. nil ſibi eſſe cum tali inviſibili itinere,*

nere, quod nil prodest, nec facit ad medendum, utpote vias illas insensiles chyli delatrices, pag. 38. Anatomici excogitârint, qui nimis oculati vident, quod nuspiam est. Sed errant optimi hi Viri. Expressè enim hæ venæ lacteæ distinguntur à venis rubris mesaraicis, nervis & arteriis. In mortuis viderunt *Folius* & *Tulpius*. *Veslingius* idem expertus, & ego ipse sed in cane mortuo 1646. 21. Januar. Ego eas in omnibus (inquit *Veslingius*) à me dissectis ab annis viginti cadaveribus & agnovi, & curiosis ostendi. Sæpius item in infantibus lactationis tempore mortem oppetentibus biduo, triduo, & prout servandis corpusculis hyems favebat, longiore temporis intervallo, cremore suo etiamnùm plenas conspexi. Non absimiles venas Patavii idem *Veslingius* à ventriculo ad lienem meantes, aliquando monstravit Fratri meo D. *Gregorio*, & ejus Contubernali D. *Metzgero*, Professori hodie Gissensi eximio, Collegæ meo dilecto. Quod idem confirmat *Vogelius*, Præsi-

de

de Nobil. *Conringio*, dissert. de *Lacte*, in Præfat. *Hornii*, *Pecqueti*, *Bartolini* adde *novos* ductus chyliferos, & vasa *Lymphatica*.

V. Abducunt verò sanguinem præparatum, eumque partibus communicant *vena Cava* & *vena Portæ*, *vena* scil. κοιλὴ, & *illa* quàm φλέβα ἥτι πύλας καὶ βόλον ἥπατος dicit Cous 2. *Epidem.* In *Embryone* vena Umbilicalis *sanguinem* adducit.

Harum venarum ante omnia notandæ *anastomoses* vel *conjunctiones* circa radices: hinc enim sanguinis transitus: hinc purgationes corporis habitum evacuantes. *Notandum* præterea, certis anastomosibus *venas portæ* jungi Vesiculæ bilis *venulis*: quam *conjunctionem*, veram non recitet *Plempius*. Conjungi insuper cum *venis cavæ* putat, *pag.* 229. Sed non vidi illam conjunctionem, nec etiam revera est: Quælibet autem pars per dictas venas alimoniam accipit.

VI. Ex-

VI. Excrementa verò recipiunt, hepatiqúe subtrahunt *Vesicula bilis* & *Renes*. Illius ope bilis manat ad *intestina*. *Renum* verò serum trahitur, ab *emulgentibus*, & ad *vesicam* per *ureteres* dimittitur, ut tandem per *meatum urinarium* ope *musculi proprii* dejiciatur.

De *ipsa bile* inferius agemus; Præsupponimus esse *excrementum*, præsupponimus generari in *ipso hepate* ex *ipso sanguine*; quæ tamen præsuppositа infra *part. 1. c. 2. s. 2. art. 2.* fusius exponimus. Nunc saltem exponemus, *quomodo bilis transeat ad intestina?* Res certè hæc non est in propatulo, nec in confesso. Ita verò se habet. *Bilem circa Portæ venam* genitam recipit *Vesica*; circa *Cavam* vero ortam *Ductus bilarius*. In thesi generaliter per *bilis vesicam* expurgari dixi. At *illius vesicæ nomine* intelligo quoque *bilarium ductum* Intestinum ingredientem, de quo supra *p. 97.*

A ve-

A *vesica* attrahi bilem, ex *Galeno* propugnat *Plempius*, cum jecur ad partem illam determinatam semper præcisè illud excrementum ableget, *pag.99.* *At* quædam bilis transit immediatè ad intestina imò multis animalibus deest vesica bilis, quæ tamen bilem habent, eamque intestino per ductum bilarium committunt. Falsum est præsuppositum *Plempii*, omnem bilem primùm attrahi à vesica, ibi colligi, & post demum per bilarium ductum ad intestina ire. Puto ego *pulsu hepatis* ad *vesicam* & *intestina* bilem venire. Est enim *hepati* molesta tam amara & acris res. *Vesiculæ* verò amica & jucunda esse non potest, ipso fatente *Plempio*, quam ob rem vesiculam trahere putat non ex *propriâ intentione*, sed *ex intentione naturæ universalis*. Verùm natura non requirit talem tractionem, cum non semper superflua bilis adsit copia. Sensim destillat bilis, si peccat quantitate nimia. Si illa vesicula continuò traheret, aliquando quoque vacua reperiretur, quod non-

dum

nondum contigit, nisi *præternaliter*, uti vesicam bilis bile destitutam, calculis tamen turgidam vidit *Fontanus* pag. 21. *Calculos* aliàs in vesica bilis viderunt plurimi. Nuper hic quoque in vicinia *Mulieris* cadaver apertum in *bilis folliculo* calculos non absimiles exhibuit. *Principis Constantiensis* Parens mortuus nuper ex hac re. D. *Guido Patin*, Riolani Successor dignissimus, Lutetiæ invenit in octogenaria 75. lapillos quadratos in vesicula bilis. Imo cui parti mitteret bilem natura cõmodius, quam huic *vesicæ* & *ductui bilario?* *Aristoteles* & *Plinius* quosdam felle carere statuunt. Illustrissimi Comitis I.E. ab I. & B. pronuper infans demort. destitut. erat *vesicula bilis*, teste D. *Geilfusio*. Ludit nimirum, loquor verbis Excell. Dn. *Sponii*, δημιουργὸς Natura, ut in aliarum partium, ita interdum & in *vesiculæ istius* conformatione, quam huic puellæ negaverat, uti cervis, damis, aliisque animalibus usuvenire, ἀνωμαλία quotidiana comprobat. De *renibus* eadem est difficultas, *an trahant, an recipiant* saltem

Se-

Serum? Erasistatus primus statuit *recipi* saltem, cum sero renes nec *nutriantur*, nec *oblectentur*, quem sequitur *Laurembergius* in *Exerc.6.* quam olim respondens defendi *Rostochii. Galenus* ex *Hippocrate* statuit *attrahi* potius; quem sequuntur plurimi diverso tamen modo. *Plempius* renibus attribuit attractionem officialem; *Joubertus* propriam, propriæ nutritionis causâ. Ast si verum, fateri liceat, *seri secretio* fit & *attractione & pulsione. Venæ* enim *expellunt* serum ipsis molestum & grave: *Renes* verò attrahunt, & nutritionis gratiâ, & officii causâ: ut serum excernatur, ut sanguinem sero admixtum separēt: quâ de re vide elegant. Tractatum Amici *Lösselii* pag.16. Ex dictis autem patet ipsos *renes* non tantùm *serum trahere*: sed & *sanguinem allicere*, & ex illo efficere *humorem seminarium*, quâ de re inferius. Ipsi renes duo sunt plerumq;, rarius tres. *Botall*⁹ vidit quatuor in sicario quodam, ut & Frater meus D. *Gregorius* Patavij in cadavere fœminino, sub auspicio D. *Molinetti* An.1649. Cur bini sint positi

opti-

optimè omnium exponit citat⁹ *Löselius* p.13. A *Renibus* verò *vesica serum* accipit, quæ id postea motu voluntario dejicit. *Plempius* dejectionem & retentionem, partim *animalem*, partim *naturalem* putat, pag. 263. motus forsitan auctoritate *Galeni l.6.de locis aff.cap.4.* ob quam idem profitetur cum Plempio *Laurentius.* Ast excretio Urinæ potius animalis quàm naturalis actio est, quod totum hoc munus sustineat musculus, & nunquam excretio fiat, in statu secundum naturam, nisi quando objectum ferit appetitum, quod fit, ubi prementem urinam sentimus, unde musculum dilatamus, ut serum exeat. Ita exponit *Parens l.1. ex.7.q.8. de Nat. hum.*

Et hoc modo *Oeconomia* corporis nostri descripta est ex opinione Veteri: Moderni, *Rolfinccius* maximè, & alii Viri Clarissimi statuunt, in *Corde* sanguinem elaborari, *hepar* verò tantùm *colatorii* loco esse, quod impuritates absorbeat, & ad emunctoria mittat; chylumque & sanguinem motu diaphragmatis

mo-

moveat & eventilet, ipsumque ventriculum insuper foveat. Ita quoque post *Pecquetum* Hepar planè eliminat *Bartolinus* diligentissimus, apprimèque doctus, uti patet inscriptione, quam Epatis tumulo meditatus est vir omni elogio dignissimus. SISTE. VIATOR. CLAVDITVR. HOC. TVMVLO. QVI. TVMVLAVIT. PLVRIMOS. PRINCEPS. CORPORIS. TVI. COCVS. ET. ARBITER. HEPAR. NOTVM. SECVLIS. SED. IGNOTVM. NATVRÆ. QVOD. NOMINIS. MAJESTATEM. ET. DIGNITATIS. FAMA. FIRMAVIT. OPINIONE. CONSERVAVIT. TAMDIV. COXIT. DONEC. CVM. CRVENTO. IMPERIO. SEIPSVM. DECOXERIT. ABI. SINE. JECORE. VIATOR. BILEMQVE. HEPATI. CONCEDE. VT. SINE. BILE. BENE. TIBI. COQVAS. ILLI. PRECERIS. *Hornius* autem insuper ad alios usus Hepar factum credit. *Linden*^{9} tamen adjuvare quoq; sanguificationem *jecur* pro-

fitetur, alio tamen modo quàm *Helmontius*, qui in venis Mesenterii, tanquam in sanguinis officina, ab inspiratione Hepatis sanguificationem fieri putat. Sive verò quis Veterum, sive Recentiorum opinionem recipiat, *Eparve* aut *Cor* sanguificationis organum statuat, non tamen vel *Plethoræ*, vel *Cacochymiæ*, vel ullius *causæ mortificatione*, antiqua *Medendi Methodus* mutabitur, sed eadem indicationes, *Curatoriæ*, *Præservatoriæ*, & *Vitales* manebunt, uti satis nervosè innuit Clarissimus *Rolfinccius*. Parastata ejus Excellentissim⁹ Dn. *Mœbius* in Institut. fusius & eleganter, quoq; hoc negotium exequitur. DEO itaque debemus gratias, quod *Medendi Methodus* in dies magis magisque inclarescat, eademque maneat, non obstante tot novarum opinionum physicarum & Anatomicarum discrepantiâ & diversitate. Quæso an non acriter dimicant inter se *Aristotelici* & *Democritei*, quoad *Elementa* & *Atomos*? Et tamen eodem modo sanant *Aristotelici* & *Democritei*, uti

ad

ad oculum patet ex illis, quod eleganter tradit *Leichnerus* paragr. 55. & seq. ex 4. de Atomis. Hic itaque *Lactea Pecqueiana* & *Lymphatica* Bartoliniana vasa accuratius exponenda veniunt. Horum Virorum doctissimorum ductu non destiti in veritatem illorum vasorum inquirere; uti videre licet in *Decad. I. & III. Observat. & Epistol.* Harvejanæ Epistolæ doctissimæ potissimum occasione *Rolfinccius* Clarissimus, ejusdem contenta, à *Strausio* Philiatro solertissimo revelata, pag. 985. allegans, illis intactis, cautè contentus est, stratam insistere viam. Eximius verò *Bartolinus* fusius ea exposuit curiosè satis. Hinc eleganter elegantissimus noster *Lindenus* nodosæ Podagræ tophos fieri docet à pituita cum cremore chyli per vasa illa lactea ad cor abeunte.

Sectio IV.

De

TESTIBUS, ET QUÆ HUC SPECTANT.

I.

GEnitalem facultatem suppeditant *Testes*, partes *genitales principes*, ob præclaram vim σπερματοποιητικὴν, quâ pollent. *Gal. l. 1. de Semine.* *Testibus* inserviunt *vasa spermatica, prostatæ, ejaculatoria, uterus*; & *partes denique* μόρια γονητικὰ, & αἰδοῖα appellatæ. Fœtui *edito lac* per *mammas*, *non edito sanguis* per κοτυληδόνες in *uterum* fluens, cedit in *alimoniam*.

Ipsum semen *testes* conficiunt & perficiunt. Primam operam & rudem conferunt ipsi Renes; secundam Parastatæ *Spigelii*. In Maribus extra sunt, in fœminis

nis intra latent Denegavit hoc officium *testibus* Aristoteles *l. 3 de hist. an. c. 1. l. 1. de gen. an. c. 4.* quem *Cabrolius* secutus, sed Galenus his satisfacit, *l. 1. de sem. alleg. c. 15.* quem sequuntur *Abensina, Conciliator, Vesalius, Columbus, Laurentius.* HieronymusFabricius p. 295 Monacho Montis silicis conservavit testiculum, quia norat semper unum testem majorem esse altero. Natura enim comparatum est, si sequi volesFabricium, unumquemque testes inæquales habere. Quoad *nutritionem embryonis in utero* Recentiores *chylo per os ali fœtum in utero* statuunt, quâ de re pro & contra legi possunt *Rolfinccius, Harvejus, Gassendus, Bartolinus, Jo. Claudius de la Courvee,* & *Antonius Deusingius.* De *Utero* quæri solet, *an odores percipiat sub suâ specie?* Ita quidam statuunt. Odoratu enim moschi vel ambræ suffocatur uterus, usu castorei, assæ fœtidæ curatur, & in suo esse conservatur. *Sed* non exinde sequitur verum odoratus sensum utero esse assignandum; Afficitur matrix ratione

vaporosæ expirationis, quæ à rebus odoratis unà cum odore transit, & eidem vel amica vel inimica est, qualitatibus sæpè manifestis, sæpè occultis : Quod verò per *benè olentia* naribus admota *suffocatio* oritur, quod per *fœtida* curatur, causa est, quia *rebus odoratis* Cerebrum suaviter afficitur, uti propter consensum uteri cum cerebro tetri vapores matricis morbosæ latitantes excitantur, excitati vasorum obstructionem augent, atque ad reliqua membra principalia sursum exhalant, & ita suffocationis matricis causa sunt. Per *fœtida* verò rursus affectus hic tollitur, tum quia iisdem, tanquam rebus naturæ inimicis, expultrix suscitetur, ut ad expellendas res noxias insurgat, tum etiam quod pleraque vim attenuandi, vehementerque dissipandi habent, quod in *Castoreo* patet; uti fusius exponit *Parens* noster *q. s. num.* 7. Communiter vulgus fœminas in *sinistra* uteri parte generari putat, mares in dextra. Plures verò *fœminas* quàm *mares* generari putat *Plazzonius* Prof. Pa-

Patav. *pag.19.* quod vas spermaticum *sinistrum* semper immediatè ex emulgente oriatur, *dextrum* verò variè ludat. *Mares* verò à naturæ lusu, *fœminæ* ab ordine. De Essenorum æterna gente cessantibus puerperiis; coitu item ementito Angelorum, vide Exc. *Th. Bangium* in Cœlo Orientis. *Plempius* ex *Zacuto* putat imprægnationem fieri posse non *soluto nodo* Ausonii. Non ausim ego dicere. Virginitatem *inclinasse* olim dum dixerunt Rabbini, respondisse videntur ad hanc rem. Conceptio enim in hoc casu nulla erat, nec præsumi poterat. Cætera *Mœbio* judice falsa, *me* judice scandalosa. De disjunctione ossium coxendicis in *partu*, vide *Arnisæum*: de *Superfœtatione Bartolinum* maximè: De similitudine & dissimilit. natorum *Parentem*; unde *Salvatorem* matri similem eruit *Stengelius in effig. Jesu Christi, Marinæ de Escavar revelat*: Quoad *nutritionem Embryonis per os*, legantur *Rolfincc. Harvejus, Gassendus, Courvee, Deusingius*, hisque adde *Epistol. nostras*

stras Medic. Ipsum fœtum in utero matris angustari, atque pejus habere ex *Hippocr.* quidam arguunt, ut proinde *Illephonsus de Orozoo,* & *Basilius Ponce de Leon* clausuram in utero vehementiorem afflictionem statuant, quibus Dulcissimus *Salvator* noster in toto suo vitæ brevis curriculo affectus fuit.

Hæc de *Objecto* Medicinæ, cujus cognitio ante omnia necessaria est. Addisci autem debet non tam ex libris, quàm ex ipsa Anatome & dissectione partium humani, & in hujus defectu bruti animalis corporis. Brutorum enim dissectio non inutilis, cùm sæpe plura inde discere possimus, exemplo illius, qui *Galeni* tempestate in aliis animantib⁹ & simiâ potissimum promtissimè omnes partes vidit, in corporis verò hostis Germani dissectione nihil amplius præter viscerum situm notare aut addiscere potuit, *3. ad min. anat. 5.* Operæ pretium itaque est, non in humanis cadaveribus tantum, sed & in variis animantibus mortuis & vivis, manuducente *Bacono*

quo-

quoque in *augm. scient.* diligenter se exercere, ut cognito *situ*, *connexione*, *quantitate*, *qualitate*, *substantia* singularum partium ipsa *Actio* & *Usus* eò melius pateant. Hæc de *Objecto*, sequitur *Finis*.

PARTIS PRIMÆ

CAPITULUM II.

DE

MEDICINAE FINE.

Capitulum secundum Prænotionum Medicorum dixi *p. 6.* esse παιολογικὸν, h. e. exponere id *Finem* Medicinæ utrumque, *externum* nempe & *internum*; undè hujus *capituli* commodissimè *duæ* erunt *sectiones*, quorum *prima* ea tradat, quæ *externi finis* gratiâ, *altera* verò ea,

quæ *interni finis* causâ præcognosci debeat. *Internus* autem finis est in potestate Artificis, *externus* non item, unde nimis crudeliter Moschi, Tartari, & alii Barbari Medicos occidunt, si *hunc* non semper assequantur. Ita Dn. *Olearius* narrat de Bor-Goudena Moscho: & *M. Martinius* de Changhienchungo Tartaro.

SECTIO PRIMA.
DE
FINE EXTERNO,
SANITATE.

Sanitas, externus Artis nostræ finis, præcognosci debet tum à *priori*, tum à *posteriori*. Illo modo inquirendum est in ipsum esse Sanitatis, quid sit? quæ ejus requisita, causæ & principia?

Ar-

ARTICUL. I.

DE SANITATIS COGNITIONE à PRIORI.

I.

EST autem *Sanitas* aptitudo corporis ad agendum, *Gal. l. de diff. morb. cap. 2.* seu, *est* dispositio corporis humani, quâ proter justam similarium *temperiem*, dissimilarium *conformationem*, & utrarumq; *unionem* prompti sumus ad operationes ritè perficiendas, *Vid. Gal. 1. M.M. c. 7. 5. plac. l. art. med. 8. l. de opt. constit. c. 2.*

In manuscripto quoad hæc & seqq. te quoq; sæpius tango, Clarissime *Plempi*, sed in publicum, non emittam imposterûm quicquam contra te, usq; dum videam *novam* tuam editionem *librorum de fundam. Med.* quam allegat *Valerius Andreas Desselius JCtus*, pag. 448.

Vidit verò eam præterea, & legit & hisce diebus, dum antecedentes pagellæ jam excusæ essent, summoperè commendavit mihi *Excellentis Eruditionis* Vir *Reichardus Py*, Anglus, Amicus noster communis honoratissimus. Videre aveo id novum *limatum* opus, interea, Erudite Vir, ægrè non feres, quod in scribendo usus fuerim ea libertate, quâ tu ipsus olim in alios, & nunc in *tuum* scriptum proprium. *Sanguinis Circulationem, lacteas*, &c. audio, defendis acriter; referente ita *Dn. Py*, qui tamen olim infensus fuisti inimicus illarum opinionum. Ita *discendo* morimur, & quod *scimus nihil* est; *si* scire nostrum manu propriâ, *secundum* Arabum proverbium, non alienâ putemus.

Hæc olim. Vidi verò præterito anno *limatam novam editionem*, vidique me aliquoties tactum, solicitèque inibi quædam defensa, quæ ego olim impugnavi: multa verò difficilia illustrata & aucta, pluraque insuper projectâ hastâ reformata & correcta, Scommata & Calumnias

nias non curo, nec ad eas respondeo quicquam. Ad res verò mihi á *Clarissimo Viro* repositas breviter. Quoad *Medicinæ subjectum lib.1. cap.2.* quoad alia verò *c.15.16.* pro me pugnat *Mœbius* in *institut.* De *pilis* si legantur ea, quæ tradit *Bartolinus* in *vindic. Anatom p.93 94.* & nos suprà. Corruent quæ inculcat *Plempius*, antiqua, nova. *Pingue*, pag.98. quod venæ extra se mittunt in partes calidas, negat esse pinguedinem, sed id tantùm, quod rejicitur in frigidas. *Galenus* tamen loquitur de pingui extra vasato, tàm in locum calidum, quàm in locum frigidum deposito. Quid si *Fernelius* intellexerit pinguedinem extra venas calidis, non frigidis affusàm partibus? Idem certè *sevum* igni instillatur & aquæ, licet illud non concrescat, sed absumatur. Paritas autem tunicæ *oculi* & *portionis nervi* pag.100. non solvit instantiam, cum dispar ratio sit & diversissima. Sic quo ad *Ungues* & *Pilos* (p.97.) forsan *Galenus* loquitur de *parte* latè pro omni illo sumptâ, quod corpus nostrum

complet. Non enim omnes partes propriè sunt, quibus vasa vitæ causâ concessa. Stuporis verò aliqualis & torporis pag. 124 argui quis posset, si *Pulmones arteriam* conspecies *Cordis* statuat, nec tamen eas habere velit pro *partibus principibus*. Cor statuatur pars princeps. Arteria, Pulmo cordis enumerantur conspecies. Quid concluderetur, si stupor absit & torpor? Leo, ex. gr. est animal, Leonis conspecies sunt Equus, Canis. Annon in propatulo est, canem esse animal? Qui hoc non poterit capere, illum non Anticyra, nedum ulla betula (ad quam promptum video) sanabit. Sed non statim ad ferulam currendum esse, olim monui, p. 89. Ego cum ante annos XXIII. Professionis Medicæ munus mihi concrederetur, ex officio & Veritatis amore Auditoribus hæc proposui, atque proinde paratus sum, limare, mutare aut delere, quoties meliora edoctus fuero, non maledicere. Non enim gravor cum *Cicerone* confiteri, me multa ignorare, & multa mihi etiam atque etiam

discen-

discenda esse; hincque lubens paro palmam meliora docenti. Meliora, inquam. Si hoc non: opprimentibus non cedo, nec ad votum Maximi Planudis, εἰς τὸ κάτω, ἀλλ' εἰς τὸ ἄνω, instar *palmæ* me prement, non oppriment. Interim

Decem talenta cæteris:
Sed una contigit mihi
(Et est sat illa) drachmula.
Dator Supreme fac tibi
Sit una drachma fœnori.

II. Temperies verò constat & perficitur *Calido insito* & *influente*. Ad *Conformationem* requiritur certus numerus, magnitudo, decens, situs denique actionibus conveniens; hinc operæ pretium erit, de *Temperie, Calido innato*, & *Spiritibus influentibus* in præsentiarum agere.

III. Est autem *Temperies* qualitas ex mutua actione & passione primarum orta, hinc̃que ex ana-

analoga commixtione *novem* omninò oriuntur temperamenta. Primum dicitur *temperatum* ad justitiam. *Gal. l. 2. de temp. c. 1.* octo reliqua dicuntur *intemperata, c 8.* suntque calidum, frigidum, humidum, siccum, *1. de temp. c. 8.* calidum humidum, *cap. 2.* calidum siccum, frigidum humidum, frigidum siccum.

Temperamentis dictis addenda ἰδιοσυγκρασία multarum actionum causa mirabilis, è qua oritur constitutio *Martialis, Jovialis, Solaris, Venerea, Mercurialis, Lunaris, Saturnina,* quâque quidam homines ita afficiantur, ut *cibos* ὑπέρβλως, *vinum, lac, cœpas, caseum, carnem leporinam,* instar Nob. E. E. à Dinheim, *poma* instar *Laurembergii* Clariss. aut *Sassafras* instar Vestalis *Excellentiss. Panaroli:* aut *Rosas pallidas* instar mulieris Parisinæ; quæ ab odore earum tanquam à veneno sibi cavere debet, imò per tempus quo florent, in ædibus lati-

latitare cogitur: non ferre possint, ut *solo aspectu* Medicinæ moveantur εἰς κάθαρσιν τῆς κάθω, teste *Parisino* & *Nicolao Florentino*, ut *tactu* curent *hieroſos* instar Pyrrhi. Illustrissimus Dn. *Guido Patin*, Vir omni elogio dignissimus, *caseum album* molliorem adeò avertatur, ut de eo diutius cogitare non liceat, ne succedat animi deliquium. *Idioſyncraſiæ* opponitur *anidiſyncraſia*, morbus similaris occultus: quò collimare forsan voluit Galenus *l.11. de simpl. med.fac.§. Cancri*, in reprehensione Præceptoris sui *Pelopis*. Ipsum *temperamentum* accidens est, non *ſubſtantia*, quod *Fuchsius* perperam asserit, *Instit.l.1.ſ.3.c.1.* Qualitas est, ex mutua actione & passione primarum qualitatum orta: non ex *ſubſtantiis*, uti putat *Mercatus tit.1.l.1.pag.2 c 1. art. 2.* derivata. Ipsæ autem qualitates primæ nec abolentur, nec integræ manent, uti quidem putat *Fernelius l 3. de temp.c. 2.* Intemperata tot dari negat *Averroës*, sed *Galenus* objectionibus, quæ dari possunt, satisfecit jam olim, *1. de temp.c.8.*

IV. Co-

IV. Cognoscendum autem Medico futuro non solùm totius corporis *nativum* & *congenitum temperamentum* in prima conformatione ex semine & sanguine proveniens; notandum etiam *adscititium* est, *Gal.1. de T.S. cap.5.* Notandum probè quoque ante omnia *temperamentum partium* singularum præcipuè *principalium*, ut & contentorum *humorum* & *spirituum.*

Partes *calidæ* sunt venarum & arteriarum tunicæ, *Gal. 2. temp 3* testes, renes, lien, caro, jecur, pulmo, cor, *Gal. de fœt.f.3. Frigidæ* Cerebrum, medulla spinalis, fibræ, membranæ, tendines, ligamenta, cartilago, ossa. *Humidæ* pulmo, jecur, lien, testes, mammæ, cerebrum, medulla spinalis, caro. *Siccæ*, os, cartilago, vinculum, tendo, vasa, cor, omnium verò partium temperata maximè *Cutis.* Quo ad *Temperamentorum* expli-

plicationem in Institut. *Parentem* meum exagitat *Hofmannus*, ut & alibi passim, ipsum jam *nimis strictum*, jam *minus cautum, mancum, ineptum, obscurum, alienâ vitulâ arantem*, &c. proclamans, quem tamen superstitem adhuc non semel lucubrationum suarum judicem selegeret dignissimum. Cur non monuit *Parentem* ante obitum ? Sed condono. Meum enim non est hostire, & sepultis manibus inclementer dicere, ille sua secum vehat scommata, servetq; sepulchro. De *Humoribus* & *Spiritibus* infra.

V. Ille ergò homo εὐκρατον corpus habebit, qui omnium partium justam & optimam obtinet constitutionem, præcipuè verò *jecoris, cordis* & *cerebri*, ita, ut quo ad habitum corporis inter crassum & gracilem, mollem & durum, hirsutum denique & glabrum *medius* appareat, omnesq;

actio-

actiones debitas rectè conſtitutas habeat.

Ab hac *mediocritate* nimiâ *caliditate* recedunt corpora eorum, quibus latæ venæ cum arteriis propter cordis jecorisque caliditatem excedentem, pinguedinis & pilorum abundantia adſunt. Si *humiditas* excedens conjungatur, magis carnoſi ſunt, colore cutis ex albo rubicante conſtantes, prima ætate multis fluxionibus obnoxii, animo maximo non tamen feroci aut implacabili præditi. Si verò *ſiccitas* adſit, corpus gracile, macilentum, pilis maxima ex parte nigris & criſpis abundans, animum ad iram pronum obtinent. *Frigiditate* verò diſcedunt illi, quorum venæ & arteriæ parvæ ſunt & exiles, pilorum proventus rarior coloris albi vel flavi, animus demiſſior & ſegnior. *Humiditas* addit pinguedinem, nervorum muſculorumq; imbecillitatem, ingenii tarditatem, ſomnolentiam, ignaviam. *Siccitas* verò corpus reddit durius, gracile, animum conſtantem, paulò tamen timidum.

VI. Qui

VI. Qui verò non habent εὐκρατον corpus, illi præditi sunt temperamento *calido, frigido, humido, ſicco*; aut *ſimpliciter*, aut *conjunctim* ſic dicto: prout *partes* variè à nativa & debita temperie declinant; unde etiam liquet, quodnam *bilioſum, ſanguineum, pituitoſum, melancholicum* dici debeat *temperamentum*. Vid. *Gal. 2. de temp. c. ult.*

Rectè quædam *temperamenta* vocari *bilioſa, pituitoſa*, &c. hic ſtatuimus. *Galenus* quidem obſtare videtur *c. 6. l. cit.* Aſt non pugnat cum noſtra aſſertione ſi penitius inſpiciatur. Redarguit eos ſaltem, qui ab humoribus excrementitiis temperamẽta derivant, quod iniquum. Ab alimentariis & ipſa ſanguinis in variis corporibus diverſitate deſumi debet temperamentorum dicta appellatio: quâ de re optimè loquitur *Sennertus*.

VII. Facilè autem & ſæpius *id* mu-

mutatur à variis causis, tum *internis*, tum *externis*; ut sunt, *victus ratio, animi perturbatio, aëris ambientis constitutio, vitæ genus, regionum diversitas, anni partium constitutio, sexus & ætas.*

In *exordio* vitæ corpora humidissima sunt & calida: in *decrepita* verò frigidissima & siccissima, νηπιότης quidem τῶν νεογνέων, ut *Galeni* verbis loquar, corpora reddit humidissima & moderatè calida, ἡλικία παίδων calidiora & humidiora; ἥβη minus humida, calidiora; μειρακίων calidiora, minus humida; ἀκμὴ calidiora, minus humida; καθεστικία humida & sicca temperata; ὠμογερόντων frigida & sicca; γερόντων frigidiora & sicciora; *decrepita* tandem siccissima & frigidissima, *Gal. 8. de plac. l. 3. com. aph. 27. 30. 5. aph. quæst. l. 5. de T. S. c. 12.* *Annos Climactericos* multi hic notant, de quibus legi possunt *Jo. Calamantius* de diebus decret. *Philippus Beroaldus* in Plin. *Fabritius Padoranus* de annis Cli-

ma-

mactericis, *Muſchlerus* de peſte, & *alii*. Ita *ſexus* ratione Viri ut plurimum calidiores fœminis. Vide *Segarram*, *Thomam de Garbo*, *Petrum Garciam Carrerum*, & *Santacrucium*. Διαφέρει ἐς τὸ εὐπιλεσίρως, inquit Hippocr. τε ἀπηλλάσσειν καὶ δυσπιλεσίρως ἀνὴρ γυναικὸς. Sic *verno* tempore maximè temperata ſunt corpora; *æſtivo* externæ partes calidæ ſunt, internæ frigidæ, *hyberno* contrà. *Autumnali* verò intemperata ad frigiditatem inclinantia. *Aſtrorum* etiam poſitus ſæpè mutat & multum. Illorum ergò logia Medicinæ Studioſo ſummè neceſſaria. *Medicus*, inquit Albo Hazen Haly, filius Abenragel ex Hippocrate, *qui Aſtronomiam ignorat, eſt tanquam cæcus viam baculo examinans, huc atque illuc miſerabiliter ceſpitans, pro qualibet boni malive apparentia phantaſtica & inani, ut fatuus trepidans*, &c. Notandæ itaq; fixarum ſtellarum & planetarum proprietates ſanitati competentes. Multos enim ſæpè morbos ſiderum φαινόμενα producunt, quâ de re vide *Fernelium*, *Saracenum*,

racenum, Jordanum, Ingrassiam, Altimarum, Joubertum, Capivaccium, Fuchsium, Aben Sinam, Guidonem de Cauliaco, Albomacar, Argolum; è quorum dictis facilis erat responsio ad *Berdinum, Marcellum Siculum, Mirandulanum* & *Pacium*. Imò textus sacri *Exod 9. & 12. Lev. 16. Num. 14. Deut. 28 Ezech. 5.* suppetias quoque ferunt. *In* Asia, Græcia & Italia corpora magis temperata sunt, quàm in Gallia, Germania & locis Septentrionalibus. In India, Aphrica corpora sunt calidiora *Hpp. l. de aëre, aq. & loc.* Sic quoque à pleniore cibo, & vini assiduâ potione, ab ira, ab aëre ambiente, ventis Borealibus, Australibus, Orientalibus, à laborioſæ vitæ genere facilè temperies immutatur, ciborumque, affectuum, ventorum, &c. naturam imitatur, *Gal. 3. de temp.* Ita pro climatis alia atque alia ratione puriores atq; impuriores spiritus generantur, teste *Aristot.* & *Hipp.* undè mores sequuntur & immutantur, deducentibus id *Claramontio* de conject. morbor. c 7. atque

Lucio

Lucio Camarra Marruccino de Theate antiq. pag. 127.

VIII. Temperies itaque *justa*, Sanitatis ipsa causa est, unde sani sunt, qui justum habent temperamentum. *Hoc*, ut supra dictum *th.2.* absolvunt & constituunt *calidum insitum* & *influens*.

Calidum insitum humidum primigenium, spiritum & calorem nativum complectitur, hinc que existit maximum actionum instrumentum, *Gal.l.2. art.cur. cap.2. Principem* animæ facultatem, quâ ratiocinamur & intelligimus, calore innato tanquam instrumento uti, *Gorræus* docet. *Fernelius* huic contrariatur. At prioris opinionis veritas in *genere* quidem patet exemplo infantis minus perfectè ratiocinantis, quâ de re *Lemn.l.1.c.8.* & *Mornæus c.14. de verit. relig.* Fernelio adstipulatur *l. Zanchius* p.3. de op. Dei l.2.c.3. *Sohnius* verò *meth. Theol.* medium iter ambulat. *Galenus* calorem innatum passim vocat *substan-*

tiam, quod falſum. Sed excuſare eum poteſt, qui legit penitius *com. aph. 14. S. 1. & ſeqq.* ipſius *Galeni*, quicquid dicat *Riol. c. 2.* Langueſcente autem *calido innato* mors tandem ſequitur variis modis, & generibus; inter quæ peſſimum putat *Homerus*, quod in aquis accidit, cum nunquam aliàs τὸ ἐξαπολέσθαι adhibeat. *An calor nativus elementaris* ſit, vel *cœleſtis*, ſolennis quæſtio eſt. Eſt verò *elementaris* potius, quàm *cœleſtis*. *Ariſtoteles* contrarius eſt, *2. gen. an. cap. 3.* ſed ejus rationem refutant Cypri ærariæ fornaces, *Plin. l. 11. c 30.* Ægypti fornaces pulliferæ, *Canomann. l. 21. 31 Scal. exere. 23. d 1.* arbores hyberno tempore in hypocauſto floridæ. *Imò* ipſe *Ariſtoteles* nobis conſentit *de reſp. cap. 4.* longè acrius autem pro cœleſti calidi innati eſſentia pugnat *Fernelius*, quem ſequitur *Riolanus*, ita tamen, ut *origine* calidum innatum dicat *cœleſtem*, ratione *ſubjecti* verò *elementarem*. Ipſum calorem innatum *Zoroaſter* ἐμπυροειδὲς τῦ κόσμε ψύχος καὶ πῦρ ζωφόρων vocat, *Hermes* Solem;

lem; *Orpheus* παιλόπροφον αἰθερα; *Anaxagoras* νῦν καὶ φρόνησιν θεῖον; *Heraclitus* vitæ causam; *Plato* σπερματικὸν λόγον. *Influens* verò latet in *spiritibus* & *humoribus* alimentariis, quorum influxu calidum nativum alteratione quâdam deperditum, pro cujuslibet partis ejusdemque actionis diversitate diversimodè reficitur & restauratur, *u.M.M.c 3.* *Humores* quatuor sunt, αἷμα, φλέγμα, χολὴ, μέλαν χυλὸς. *Sanguis* fit eo modo, uti *p.88.& 89.* Unde *motus* in *cruentatione cadaverum*, unde illa sanguinis profusio restagnans, quæri hic posset incidenter? Quo ad ipsam rem lege *Parentis* tractatum in Austria olim scriptum, addeque *Philos. Natural. S.S.corporis Christi* Vincentii Molis *Hispani*. *Phlegma* album est, crudum & frigidius. *Bilis* flavior & tenuior est, atque calidior. *Melancholica* verò portio bilis terrestrior est & nigrior. De *bile* in vesicula contenta non loquimur hic, ea est excremẽtum, uti dictum *p.102.& 103.* De *bile alimentaria* sermo est. Utraq; generatur in *ipso epate* ex *ipso sanguine*, ex

tota, puta, *massa sanguinea*, uti fusius & exactè probat D. *Conringius* pag. 107. Ipsa bilis *coctionem juvat*, teste *Nemesio* & *Mundino*; toti corpori *calorem* aliquem largitur, docente omnium optimè *Heurnio*; à *putredine* præservat intra, uti extra aliâs facit, monstrante id *Renodæo*; ac denique *sanguinis motum* adjuvat; unde & *fel* variorum animantium in obstructionibus ægris exhibetur; & ob fellis admistionem varia excrementa v. g. asinini pulli fimus; *quâ de re* Celeb. *Reines.* p. 173. Hinc *fel* multis Balsamus & conserva vitæ dicitur, ut eapropter aliquod Patres putârint, Judæos Salvatori Dulcissimo in cruce pendenti bilem exhibuisse, ut tormenta prolongarent. οἶνος enim ἰσμυρνισμένος *Lindeno* doctissimo talis potio est, quæ reficiat deficientem. *Moles* tamen potionem *Matth.27. Marc.15*, descriptam, putat venenatam fuisse, quod ad mentem *Johannis Fragosi* myrrha interimat, & fel mordeat. Ast revertamur in viam! *Alimentariis* illis quatuor humoribus

pri-

primariis adduntur *gluten, cambium, ros, humor capillarium venarum, synovia, latex Helmontii.* Humores autem *excrementitii* utiles sunt, *serum, lac, semen, sanguis maternus, bilis flava vesiculæ, ichor sanguinis, saliva:* inutiles verò *urina, sudor, lachrymæ,* &c. *Serum* sanguinis lacteum vidit *Bartolinus* in scorbuticis. *Lac* partim à sanguine, partim à cibo & potu fit. *Semen* sanguinis proles est. *Bilis* natura jam exposita, ut &c. *Sudor* sæpe æmulatur assumpta. Arenosum infra notamus. Sanguineum *Parens* vidit & alij. Supra naturalem tamen Dulcissimi Salvatoris nostri cruentum sudorem pulchrè probat *Didacus* de *la Vega,* quo lecto corruunt, quæ opponuntur à *Bartolomeo* de *Medina, Barisello.* De *saliva* Neoterici singularia tradunt. Expuitio tamen in faciem semper habita ignominiosa, & olim *Deuter.25.* & post *Marc.17. Spiritus* tres communiter statuuntur, *Naturalis, Vitalis, Animalis;* at certè veritate magistrâ addendus quartus, ab illis diversus,

Genitalis, uti colligere est ex iis, quæ supra dicta *pag. 30.* Non autem specie distinguuntur illi spiritus, cum unus tantùm sit, quatuor modis diversimodè se habens. *Vitalem* lucidum quidem statuunt, unde *Fluddus* instar Solis lumen ejaculare putat. *Animalem* alii lucidum dicunt, eo modo quo stella cadens, lignum putridum, haleces (vide Excell. *Paulum Neucrantium* de *his*, olim mihi Magistrum ex Italia reduc. charissimum) luminosa videntur. *Vitalem* hunc *animalisatum Lympham* putat *Segerus*. Hoc pacto addiscenda *Sanitatis* natura à *priori*, nunc sequitur ejus *consideratio à posteriori*.

Articul. II.
De
SANITATIS COGNITIONE à POSTERIORI.

I.

A *Posteriori* spectatur Sanitas, quando *facultates* & *anima* actio-

actiones in corpore quomodo se habeant, vel habere debeant explicantur, suntque, vel, *Animalis, Vitalis, Naturalis, Genitalis*. *Animalis* actio vel est *sensuum externorum*, vel *motus animalis*, vel *princeps*, Gal. l. *de symp. diff. c. 3.*

Peculiarem dixi facultatem Genitalem, *pag. 30.* peculiarem facultatem, & inde emanantem Spiritum Genitalem, *p. 110.* Peculiaris etiam inde *actio* erit *Genitalis*, de *quâ* infra jam jam dicetur.

II. *Animalis actio sensuum externorum*, apprehensio est externi cujusdam objecti sensilis ope corporis externi organi; *Visio, v. g. auditus, odoratus, gustatus, tactus.*

De *Visione* supra constat *pag. 51.* Quoad *Auditum*; non conveniunt aut consentiunt Scriptores. Myrinx autem sonos admittit, ovalis fenestra colligit, internus auris aër medium est, musculus

cum ossiculis ad sensorii centrum ducit, nervus & ejus quidem centrum auditionem ipsam tandem perficit, confer ea quæ dixi *pag. 53.* De *Tactu* & *Odoratu* supra egi *p. 58. & 56.* Quod *Gustatum* attinet, *Carnosa Linguæ* substantia primarium ejus rei organon est, quibus *Palati carneam membranam* adde, *Gal. l. 1. de caus. Sympt. c. 4.* Nervus verò linguæ beneficio saltem sapores percipit. Non igitur sequitur *Columbi* argumentatio, Læso nervo gustatus læditur. E. nervus primarium gustatus organon.

III. Animalis actio motus animalis, actio est *musculorum*, quâ partes corporis contractione & extensione & geometricè quidem diversimodè moventur.

De *motu musculorum Geometrico* pulchrè & accuratè olim sub præsidio Genitoris mei disputationem habuit Patruus meus *J. Müllerus*. Eam allatrare ausi sunt *Müllerus* Lipsiensis, & quidam alius *Altorphinus*. Objectiones verò utrius-

triusque remotæ sunt, tùm olim à *Parente* meo, tum nuper à Genero *Jacobi Müller* Clariss. Viro *G. VVentenio*, apologiâ herclè *doctâ* satis & *eruditâ*; ad quam Lectorem remitto. Ipsi *Musculi* constituunt verum animalis organon, quicquid dicat de *corde* Averroës, quem *Mercatus* refutat. *Insecta* verò moventur motu impropriè sic dicto. Ipsum *Cor* aliquo modo musculus dici potest, ut sarta tecta manet authoritas *Hippocratis*, quâ de re supra *pag. 63*. *Partes* habet *musculus* septem: *Venam, arteriam, nervum, carnem, tendinem, membranam, pinguedinem*. Clarissimus *Sennertus* addit *fibras*, quas primariam musculi partem motricem putat. Alii *nervo* primarium munus tribuunt; sed hos omnium optimè refutat *Th. Erastus*. *Spigelius* Tendoni primas sibi vindicat, *teste* Galeno *l. art. med. c.5. l de tract. c.12*. Confer Anat. *Capivacc.* *Sennertus* autem excusari potest, quod loquatur de *fibris carnosis*, quæ sunt *fibrosa caro*. Inter se differunt Musculi ratione *totius*, partium

um *dissimilarium* & *similarium*; respectu scil *substantiæ, figuræ, magnitudinis, numeri* & *situs*. Sic v. gr. *ratione totius* musculi laryngis carnei sunt; palmaris verò partim tendineus, partim carneus; Ita elevator humeri Deltoides est, Sphincter circularis, &c. Omnes verò *musculi* pertinent aut ad *ventres*, aut ad *artus*. Infimo ventri attribuuntur *octo musculi abdominis, sphincter, duo levatores, sphincterq; vesicæ* & *succenturiati*. Musculi item *penis cremactereq;*. Pectoris sunt *undecim musculi intercostales* externi, & totidem interni, *subclavius, serratus major, obliquus exterior, serratus posticus superior & inferior triangularis, sacrolumbus*, quibus addendi musculi *dorsi, scapularum, cervicis, laryngis*. Caput verò totum movent *duo splenii, duo complexi, duo sub his latitantes, duo recti majores, minores, obliqui superiores & inferiores, mastoidei, duoq; Fallopiani*, quibus adde *musculos oculorum, palbebrarum, frontis, aurium, labiorum, buccarum, maxillæ, linguæ*. Manus verò dividitur in humerum, cubitum & ma-

num ipsam propriè sic dictam. Humerum attollit *Deltoides* & *Ancyroides*, adducit *pectoralis*, abducit *dorsi musculus latissimus*, deprimit *rotundus*, circumagunt *suprascapulares duo*, & *unus infrascapularis*. Cubitus flectitur *bicipite*, & *brachiæo*, *musculis anterioribus*, extenditur *duobus extensoribus*, *musculis posterioribus*. Radium introrsum movent *pronatores duo*, extrorsum *supinatores*. Carpum *flectit flexor* internus & externus, *extendit* extensor externus & internus. *Vola manus* movetur palmari. *Digitorum* autem *flexores* 4. sunt, in primo internodio lumbricales, in 2. perforati, in 3. perforantes. *Pollicis* in 1. duo, in 2. quatuor, in 3. unicus. Pollicis extensores duo sunt, digitorum duo in 1. & 2. intern. in 3. verò sunt illi interossei aliàs dicti, qui simul ad- & abducunt. Quod pedem attinet flectunt *femur* musculi *Psoas*, *Iliacus internus*, *triceps*, *lividus*; extendunt tres *Glutæi*, circumagunt *Iliacus externus*, *pyriformis*, & *obturator externus* & *internus*, p. 219.

221.223.224. Tibiam *extendunt* quatuor musculi, *membranosus, rectus, vastus internus & externus.* Obliquè movet *subpopliteus*, flectunt *sartorius, gracilis, semi-nervosus, semimembraneus, biceps.* Tarsum ipsum flectunt *Tibialis anticus* & *peronæus secundus.* Obliquè deorsum & introrsum quidem movet *tibialis posticus*, extrorsum *peronæus primus*; extendunt *Gasterocnemius* & *Soleus*; inter quos nota *Plantarem.* Digitos extendunt *extensores* & *interossei*; simul obliquè etiam moventes; flectunt *lumbricales, perforati, & perforantes.* Coñexioni verò & Extensioni adde *translationem* & *motum tonicum* ex Galeno *l.1. de mot. musc. c.8.*

IV. Actio animalis princeps continet *imaginationem, ratiocinationem* & *memoriam*. *Imaginatione* species & formas ab exterioribus sensibus oblatas apprehendimus, discernimus & dignoscimus. *Ratiocinatione* ex conceptis speciebus

bus aliquid meditamur. *Memoriâ* verò cognitâ quæque conservamus, ac necessitate exigente communicamus reliquis facultatibus. *Sermone* tandem quæ meditamur proferimus, qui ipse λόγος προφορικὸς, ut Philonis *l 3. de Mose* verbis loquar. *Sensuum* autem *externorum* ἐνέργεια *vigiliam*, στέρησις *Somnum* notat.

An *facultates illæ principes in cerebro sedibus distinguantur*, solenne est disputare. Olim id credidêre *Arabes*, quod tamen falsum, uti omnium optimè id exponit Cl. *Sennertus*, quem vide. De *sermone* nota, quod *vocem* præsupponat, *Gal. 4. de l. a. 6.* quæ primariò fit ope Laryngis, *2. Plac. Hipp. & Plat. c. 4.* Si nimis humida sit, rauca sequitur vox. Humidiora enim minus sonant, Arist. *probl. 12. sect. 11. Codronch. l. 1. de vit. voc.* De ipsâ *locutione* vide *Fabric. ab Aquap.* laudatissimum scriptum de *Locut.* Quoad vigiliam & somnum singu-

larem opinionem fovet *Charteſius*. Sed eum refutavit amicus *Fontanus*, uti ſupra dixi p. 45. *Argenterius* ſomnum putat actionem voluntariam. De ſomno Chriſti *Matth. 8. Marc. 4.* verum. Is enim dormivit, cor verò vigilavit, *Cantic. 5.* unde adjurantur filiæ Jeruſalem per capreas, cervosque camporum, ne ſuſcitent, neque evigilare faciant dilectam, quoadusque ipſa velit.

V. Vitalis actio propria Cordis functio eſt, quâ ſpiritus vitalis *generatio* & *diſtributio* fit. Notanda duo ſunt: *Pulſus* & *animi perturbatio*. Confer *pag. 69. & ſeqq.*

Ita enim datur animali & conſervatur vita, quando in ſiniſtro cordis ventriculo ſpiritus vitalis elaboratur, partibusque totius corporis omnibus & ſingulis mediantibus arteriis communicatur. Id quomodo fiat, pag. 69. & ſeq. dictum eſt; pulſus autem inſtituitur ab hâc vitali facultate, ut diſtractione & contractione non tam caloris nativi me-

mediocritas ſervetur, quam quod ipſa ſupra tacta fiat ſpiritus vitalis elaboratio & diſtributio. Animus verò perturbatur, ſi ſpiritus & calor in ira, gaudio, v.g. Cordi nimis ſubitò transmittantur, aut avocentur. Vitam & nutritionem differre putat Cl. *Plempius*. *Langius* tamen Excell. *Miſcell. curioſ. Med.* colligari monſtrat.

VI. Naturalis actio conſiſtit in *Nutritione* & *Augmentatione*. Illa utitur *attractione*, *retentione*, *concoctione* & *expulſione*. *Augmentatio* verò non contenta eſt alimenti appoſitione, ſed inſuper *partium extenſionem* procurat. *Genitalis* verò actio facit, ut ſpecies animalium inſuper conſerventur, dum ſemen & maternum ſanguinem ad certam figuram diſponit.

Valleſius l. 2. c. 7. genitalem non diſtinguit ab altrice, ſed ſatisfecit ejus pli-

cis

cis Plempius *pag. 276.* Suppeditant facultatem Genitalem *testes*, de quibus dictum *p. 110. & seq.* Mediante autem *semine* maximè fit & exserit se dicta *facultas Genitalis*, semine *maris* non solùm, sed & *fœminæ*. *Uterus* instrumentum est, & id homini præstat, quod axillarum aut mammillarum fornacúmve tepor sæpè pullis, imò & quid amplius. De *Naturali* superius dictum est fusius. Illa potissimum requirit Chylificationem & sanguificationem, quæ quomodo fiant, jam dictum.

Sectio II.

QUÆ RESPICIT FINEM INTERNUM.

RAtione *Interni Medicinæ Finis* medicationis ad sanitatem *externum finem* tendentis præcognosci debet natura *Morborum*, horumque *indicia*.

De

De morbo ita sequenti modo agemus. Explicabimus primò *Nosologiam*, deinde *Semeioticam*. In hac signa contemplabimur. In illa morbum videbimus ἐπιφανῶς & ἀφανῶς, ὁριστικῶς quidem & ἀορίστως, partim γενικῶς, partim εἰδικῶς.

Articul. I.

DE NOSOLOGIA.

Punct. I.

Quo Morbus Considerabatur ἀφανῶς.

I.

MOrb' lædit actiones nostras primò & immediatè sensibiliter, *Gal. l. de diff. sympt. c. 1. l. 2. M. M. c. 1. & 3.* estque διάθεσις, *1. M. M. 7.*

M. 7. cujus subjectum pars vivens est, *l. l. a. 1.* illius enim actiones πρὸς φύσιν primò & immediatè sensibiliter afficit, & hâc re à causis & symptomatibus morbificis differt, *Gal. de diff. sympt. 1.*

Morbus res est præter naturam. *Fernelii* ἀκρίβεια nccessaria non est, nodum in scirpo quærit cum *Mercato*, uti fusius exponit *Parens* p. 2. de morb. Immediatè lædere negant quidam, sed illis satis fit p. 13. l. c. ut & *Donato ab Alto Mari*, *Maßario* & *Planero*, qui morbos humoribus quoq; & spiritibus convenire putant. Quod *Vegam* attinet & *Argenterium*, ad horum argumenta respondet *Sennertus* in Instit.

II. Differentiæ Morborum quod attinet, sunt eæ primæ & secundæ. *Illæ* tres sunt. Prout enim omnis morbus vel *partibus similaribus* accidit ex præternaturali *intemperie simplici*, calida,

da, frigida, humida, ſicca, aut *compoſita* calida ſicca, calida humida, frigida ſicca, frigida humida ſine vel cum materia, *c. 4. l. c.* vel *partibus inſtrumentariis* organicis ex vitioſa conformatione, magnitudine, numero, ſitu, *c. ult.* vel utrisque ex ſoluta unitate; *l. de diff. morb. c. II. de Art. conſt. c. 6.* Tres quoque ſpecies morborum conſtituuntur.

Νοσώδεις δυσκρασίαι oriuntur, quando in ſimilaribus præter naturales & excellentes qualitates *nudæ*, vel etiam humoribus vitioſis, venenatis & contagioſis *adjunctæ*, & inſuper *occultæ* reſident, atque actiones lædunt, unde huc quoque *Venenati* & *Morbi totius ſubſtantiæ* ſæpè trahendi. Nota tamen *Fernelium* non debito modo morbos hos expoſuiſſe, uti docet *Parens cit. l. pag. 24* Nec ipſe etiam *Mercatus* ſatisfecit, teſte *Sennerto*. Talis morbus totius ſubſtantiæ eſſe poteſt,

est, v. g. Morsus Canis rabidi, contra *Marcell. Massar. Hercul. Saxon.* Ita ex proprietate hujus vel illius *Salis, Sulphuris* & *Mercurii,* sæpè morbus fit totius substantiæ, altiorisque indaginis. In arida autem arbore v. gr. *Mercurius* patitur, in putrida *Sal,* in resinosa *Sulphur.* ὀργανικῶς verò partium malæ constitutiones sunt, ὁμοιομερῶς autem pro diversitate subjectarum partium & causarum diversa sortiuntur nomina: κατάγμα, τερηδών, ἕλκος, ῥεῦμα, ῥῆγμα, νύξις, θλάσις, ἕδρα, &c. Concurrentes hi morbi dicuntur *Compositi,* universales & particulares, ut sunt *febres,* &c.

III. Secundæ differentiæ & denominationes morborum plures sunt & variæ pro varietate accidentium, subjecti, causæ, & aliarum circumstantiarum.

Ita alii Morbi interni, alii externi, vel universales vel particulares; *alii* Morbi boreales, australes, orientales, occidentales sunt. *Alii* acuti, peracuti, *Gal.*

3.de decret. cap. 13. c. 1. aphor. 23. breves *alii*, alii Chronici. In plures grassantur ἐπίδημοι, sparsim invadunt σποραδικοὶ, ἔνδημοι, certis tantum regionibus familiares sunt, *1. epid. 1.* κακοήθεις gravia inferunt symptomata. Sic alius morbus dicitur in fieri, alius in facto. Alius lethalis, alius non, *3. crisi 3.* alius Magnus, alius parvus, *7. M.M. 12.* Sic alii morbi dicuntur, legitimi, spurii, erratici, ordinati, intermittentes, per se, per consensum, hæreditarii, Tartarei, Sulphurei, Mercuriales, &c. quibus omnibus adde morbos, quos *Galenus* ὑποσροφώδια νοσήματα dicit. *Joubertus* quidem negat morbos in fieri. *Valeriola* morbos acutos non à tempore solùm deducit, *Gerardus Columba* nullum discrimen inter acutos & peracutos credit; *Sed* & horum & aliorum difficultatibus obviam it *Parens* exerc. 2. *quæstion.*

IV. Expositis sic morbi *differentiis* & *essentia*, quid & quotuplex scilicet morbus sit, consequens

quens est, ut in *causam* inquiratur *efficientem* morborum, *Gal. 2. de nat. f. c. 9. l. 2. M. M 1. l. 1. de diff. sympt. cap. 1. Hipp. in Arte & Med. veter.* Estque duplex *Interna* & *Externa. Galen. 1. M. M. 8. de caus. morb. c. 2. l. 3. de p. puls. 7.*

Externa extrinsecus advenit, *1. de T. S. 4. l. 4. s. 2.* ac vel contingenter occurrit, vel necessariò, *Gal. in Art.* reducituŕq; ad assumenda, evacuanda adhibenda, agenda; ad *quam* maximè etiam referenda *Astra* & eorum influxus, hinc enim sæpè bonum, sæpè malum oritur, *Hipp. de Carn.* Hinc internis ansa & occasio datur sæpius, *Gal. Art. l. 1. de diff. febr. 4. 1. de T. S. 3.* Videatur *Georg. Collimitius Tanstetterus* artif. de applic. astrol. ad Med *Guido Bonettus* de dand. Medic. *Argolus* de Diebus Crit. Excell. *Mœbius* in Institutionibus (quas etiam atque etiam Studiosis commendo) & *alii.* Discendum itaque hic ex *Alkabitio, Firmico, Haly,* & illis jam jam citatis,

tis, in quæ membra agant, Aries, Taurus, Gemini, &c. Planetæ itidem, quid triplicitates sint, quomodo earum respectu mutationes influentiarum contingant, & quæ huc, & ad medendum faciunt. *Interna* causa intra animalis corpus continetur. *l.4.de T.S.cap.2.* congenita alia, alia adscititia. Ipsa verò dum producit, vel *antecedens* est, vel *continens*. *Illa* προηγουμένη durat usq; dum genitus sit affectus, aliaque proxima, alia remota dicitur. *Hâc* verò tangente afficimur, & cessante liberamur ab affectu, *1. de loc. aff. c. 2. 6. epid. c 3. aph. 20. l. 1. de caus. puls. cap. 1.* Alia quoque primaria, alia sine qua non dicitur. Enumeratis causis multi addunt *incantationes*, de quibus inter alios lege *D. Bartolinum* in Centur. histor. *Argenterio* quidem non sufficit efficientis consideratio, *Bartolino* causæ externæ non sunt causæ; Sidera rident *Marcellus Siculus*, *Picus Mirandula*, (à mœstitia singulari teste *Johanne Pierio Valeriano* de literat. infelicit. pag. 128. mortuus) *Scha-*

ran-

randeus, & Chalcidius; Fernelius, Petronius & Mercurialis congenitam causam rejicere videntur in expositione Variolarum; Langius & Fuchsius non distinguunt causam continentem à morbo; Joubertus confundit causam continentem cum conjuncta; Mercatus omnibus morbis tribuit causam continentem; Sed huic satisfecit Montanus, Jouberto Capivaccius; Langio & Fuchsio Valleſius, Fernelio Sylvatius, Pico Argolus, Bartolino opponit Galenus, Argenterio Parens.

V. Fovent autem *causas internas* partes corporis *continentes* & *contentæ*. In continentibus sæpè latet causa morborum hæreditariorum, communium, compositorum. A contentis verò *naturalibus*, & *toto sapè genere*, *p.n.* variæ quoque oriri solent. *In illis* quidem πληθώρα & κακοχυμία choream ducunt; *In his* calculus, vermis, pili, & similia.

Pletho-

Plethora seu πλῆθος propriè solius sanguinis, aut quatuor humorum ὁμοτίμως se habentium in venis abundantia dicitur : impropriè verò à certi humoris exsuperantia, v.g. bile dicitur plethora biliosa. Si verò ob copiam vasa distendantur πρὸς ἀγγεῖα, sin vires sine vasorum distensione graventur, πρὸς δυνάμιν nuncupatur. Sæpe tamen una alteri manum dat. *Galen. 9. M.M. 5. de nat. hum. aph. 1. de plenit. 3. Cacochymiam redundantia vitiosorum quantitate* aut *qualitate* manifesta & occulta, pro vario atque vario sale, sulphure & Mercurio, corpore scilicet liquido & spiritu (de tribus his vide *L. Kepler.* in tabul.) *peccantium humorem* parit, ex *Gal. cit. l. de plen. 3. 13. M. M. 6.* PITUITAM primo loco exponere solent Autores, quæ varia ; *insipida*, crudus humor, *4 de T.S. 4. acida* ob caloris defectum genita ; *Salsa*, ex admistione seri orta, *2. de febr. diff. 6. vitrea* Praxagoræ, *viscida* denique & crassa, *2. de l. a. 5.* BILIS verò flava noxam inferens. *Vitellina* alia est, *2. nat.*

fac.9. alia *porracea*, *2.prognos.1.39.* simplex æruginosa, *l.pror.c.1.t.10.* & ἰσατώδης æruginosa. (Notandum hic quoque, quomodo bilis & reliqui humores à cœlestibus influentiis corrumpantur, quemadmodum v. g. pituita fit vitrea, si luna significans in piscibus gubernatur, uti bona & laudabilis conservatur à Luna & Venere in Cancro, vid. *Fludd.* *Notandum* quoque, quomodo in infimo ventre fiat ebullitio & fermentatio, in medio calcinatio & inflammatio, in supremo sublimatio.) ATRA BILIS, quam Galenus χοιλὼ μέλαιναν vocat, humor pessimus, oriundus à sanguine, non bile, non atro succo, quibus adde denique SERUM, *Gal.2.diff.febr.6.* tartarum, flatusq; ab humoribus ascendentes. De *flatibus* lege *Fienum*, de *serositatibus Pisonem*, de *Putredine* verò junge *Valerium Baldutium Mondulfensem.* Sed ridet quatuor humores *Scholarum humoristarum passiva deceptio* Helmontii. Certè non de nihilo sunt, quæ exponit, quæque ante ipsum pauci notarunt, Allaborandum,

dum, ut conciliatio fiat inter ipsum & antiquos. Non enim statim ad ferulam currendum, id potius agendum, ut conciliatio opinionum (pergat laudabiliter Lud. Keplerus, Magni Parentis filius optimus) instituatur, ut & sexagenarii de Republica Medica optimè meriti excusentur & studiosè explanentur. Dum ipsi fel, duplex lienis fermentum & alba massæ sanguineæ portio superstes manet, eò nos laborabimus, ut cum veterum scriptis *Helmontii* meditationes concilientur. Utinam bonus senex invidiam toties severè damnans, paulò clarius citra invidiam docuisset, ac unicè studuisset

ἤμὴ διδάσκειν, ἢ διδάσκειν ὠφθόνως:
μὴ ἴῃ μὴν ἔλκειν, ἴῃ δ' ἀπωθεῖσθαι χεροῖν.

Hinc pronuper contra *Helmontium* Resolutiones scripsit *Caspar Bravo de Sobremente Ramiretz*: pro ipso verò *Grembsius*. πάντα δοκιμάζω, τὸ καλὸν κατέχω; quam sententiam summoperè laudat Illustrissimus *Patin*, bona nempe seligenda & retinenda esse.

Res verò *toto genere p. n.* ut ad scopum redeamus, *Calculi* v.g. *Vermes*, &c. in variis corporis partibus inveniuntur, in *ipso Corde*, *Cerebro*, *Epate*, *Vesicula bilis*, *Renibus* & *alibi*. *Crirones* v. gr. aut *Sirones* intercutanei *Crudonibus*, de quibus supra pag. 11. non absimiles. Anno 1651. vermem ex *inguine* fœmina hic 11. Februar. excrevit. Confer *Physicam* nostram *Hippocrateam* olim *Marpurg.* prælectam, & *Magnenum*. Quoad *Plethoram* (ut errores quoq; notemus) *Fuchsius* in ea fuit opinione, plethoram non à solo sanguine fieri posse, cui tamen satisfecit *Steegius*. *Fernelius* & *Vallesius* à cacochymia in totum quãtitatis vitium excludere videntur, sed admitti posse cum grano salis probat *Parens*, pag. 226. *Sanguinem* in plethora peccantem à tota massa sanguinea non distinguit *Trusianus*, cui oppone *Mercatum*, qui copiosius hæc & similia exposuit Sic consideravimus *morbum* ἐσιωδῶς, nunc ἐπεσιωδῶς ipsum videbimus, *Symptomatum* nempe enarratione.

PUN-

PUNCTUM II.

QUO MORBUS CONSIDERATUR ἐπιτομωδῶς SYMPTOMATUM ENARRATIONE.

SEquitur autem Symptoma morbum, ut umbra corpus, immediatè enim Symptoma, *ἐπιγέννημα, συμβεβηκὸς* olim dictum, dependet à morbo, *Gal. l. de diff. sympt. l. 4. & 5. l 2. M. M. c. 1.* respicitque vel *facultates*, vel *partes solidas*, vel *ipsa contenta, l. de d. s. c. 2.* Hinc omne Symptoma vel est *actio læsa*, vel *qualitas mutata*, vel *contentorum & retentorum vitium:* quorum tamen primum *primarium est, cap. 1.* Primò enim morbum nobis aperit, *1. loc. a. 5.* estque quadruplex, *actionis* scil. *naturalis genitalis, vitalis, animalis,*

lis, & fit modis *tribus*, quando scil. vel aboletur, vel diminuitur, aut augetur, vel depravatur, *3. sympt. cap. 1.*

Quidam non contenti sunt his tribus modis dictis *actionis læsæ*, sed ex *Argenterio* actioni *auctæ* quartum & peculiarem modum tribuunt. Ast non opus, ut multiplicentur entia; *Actiones auctæ* v. gr. appetentia canina, lethargus: atque his opposita ἀνορεξία, nimiæque vigiliæ *actiones* scilic. *imminutæ* ad unum eundemque modum referri possunt, cum contrariorum eadem sit ratio. De ipso *Symptomate* nota insuper, quod malè *Gavasetius* id non à *morbo*, tanquam *causa proxima* derivet, uti etiam facit *Argent.* & *Montaltus*. Ita *excretum vitiosum* idem *Gavasetius* negat symptoma *secundarium*; Sed & his & aliisque instantiis respondet *Parens* p. 213. & seqq.

Subsectio I.
De
SYMPTOMATIBUS ACTIONIS LÆSÆ.

I.

ITa *Visus* v. g. functio (ut ab *animali facultate* & *sensibus externis* auspicemur) *aboletur* in cœcitate, & ἀμαυρώσει. *Diminuitur* verò, si accidat ἀμβλυωπία, μηωπία & νυκταλωπία. *Depravatur* autem si alba, v. g. appareant rubra, si patiamur μαρμαρυγὰς, aut per nares cum *Smetii* rustico videamus.

Dum hæc reviderem, Vice-Colonellus *Fischerus* conquerebatur, quod post festinantiorem ascensum equi generosioris omnia *dupla*, clausô verò dextro oculo, benè & ordinatè quidem videret siniſtro. Sed brevi post adhibita remedia convaluit. *Iridem* circa Lucernæ flammam emicantem *Sennertus* attri-

buit visus *depravationi*, *Plempius* negat. Sed ipse concedit ab *Ophthalmicis* & lachrymantibus expressius videri. Imò verò sani oculi non vident, nisi flet Auster, morbidi contra vident non flante Austro. Quomodo per *nares* videre liceat, optimè exponit *Plempius* noster. De *Auditu* autem & reliquis *sensibus externis* eadem res est, ut de *visu*. Κώφωσις *abolitionem* parit, βαρυηκοία & δυσηκοία & ὑποκώφωσις *imminutionem*; ἦχω verò & συριγμὸς *depravationem* Auditus. Ita in coryza, quâ os ἠθμοειδὲς obstruitur, in ozæna, in polypo *odoratui* idem accidit; uti quoque quo ad *gustatum* res se habet, copiosius id exponente *Galeno*, 1. *sympt. caus.* 3. *Tactus* autem aboletur paralysi; diminuitur stupore, qui νάρκη dicitur, ut & hæmodiâ; deprayatur pruritu, dolore. Confer *Franc. Fernandez Vexarano* de Facult. min° princip. q. 7. & seqq.

II. Eodem quoque modo *interni sensus* afficiuntur. Et *communis* quidem seu *imaginatio*, vigiliis nimiis, somnoque nimio, qui-

quibus additur κῶμα seu κατα-φορὰ: *Ratiocinatio* verò seu Phantasia læditur, si accidat ἄνοια, γνώμης νάρκωσις, νάρωσις, ὠδαφροσύνη, φρενίτις, μελαγχολία, μανία. *Memoria* autem sæpè simul læditur, sæpè sola, quâ de re vide *Galen. de d.s.3.l.2.de c.sympt.3.* Ita *læditur* actio *animalis princeps* & *sensuum externorum.*

Notandum hîc quam optimè, rarò unam principem actionem solùm lædi, plerumque plures, aut omnes simul. De *vigiliis* exemplum pulchrum habet *Galenus 2. de l. a.9.* Timor conciliavit triennales Mecœnati, cujus uxorem cùm deperiret Augustus. Anacreonti verò quinque talenta dono data, & Sigismundo Imperatori Aurum Hungaricum, *Coma* & *Cataphoram* non distinguimus, manuducente *Hipp.* Est aliud ὑπνώδες, aliud ἄγρυπνον, τυφομανία multis dictum. Huc quoque referre licet *Ecstasin*, soporem dæmoniacum, & illum affectum,

quem patiuntur ὑπνοβάται, quorum olim jam mentionem fecit *Aristot. 5. gen. an. cap. 5.* De Melancholia nota, quod ad eam quoque referri debeat Amor insanus, quem in muliere deprehendit, Galen. *l. de præcept. ad posth. c. 6.* cum quo confer *Æginetam*, *Am. Lusitanum*, & *Valleriolam* Indignè, ut obiter notem, *Galenum* hic negligentiæ arguit *Claramontius, pag. 447.* Mulier enim illa *Sinonis* tristitiam læto vultu potuisset referre, aut simulatis gemitibus flere, occulti conscia facti; ut *Juvenalis* meretrix. Non enim semper vultus hominum fingit scelus, teste veteratore *Phormione* apud *Terent.* Ita ad *Maniam* referri potest Lyçanthropia & κυνανθρωπία, de quâ *Forestus*, huc quoque trahi potest ὑδροφοβία, Chorea S. Viti, & aliæ insaniæ plures, de quibus consulendi *V. Veinrichius*, *Bauhinus*, *Donatus.* De chorea S. Viti ex professo egit *Parens*, quem adjunge reliquis, si placet.

III. Succedunt *Motus læsiones*, uti primò se offert *Motûs impoten-*

tentia & *abolitio*, v.g. in paralysi; *imminutio* in *lassitudine* : *depravatio* in variis accidentibus, qualia sunt τρόμος, σπασμὸς, quibus omnib⁹ addũtur tussis, sternutatio, oscitatio, pãdiculatio, horror, rigor. His addantur *Vocis* & *Sermonis* læsiones, ἀφωνία v.g. Addenda insuper Symptomata, vel pleræque animalis actiones læduntur, *Lethargus*, v.g. *Carus*, *Catalepsis*, *Apoplexia*, *Epilepsia*, *Vertigo*, *Incubus*.

Dum motus impotentiam allegamus, non solum *paralysin* intelligimus, sed & alias læsiones à podagra, luxatione, fractura, vulnere, ulcere, exiccatione & duritie partium motui dicatarum, & Pædarthrocace *Severini*, à qua forsan tota compages ossium pelvim constituentium foraminulenta fuit in sceleto *Hofmanni*. Ego vidi talem Pædarthrocacem in Illustri puero à nutrice

lue Venerea infectâ hauſtam, Mercurialibus ſublatam non ſine magno labore. In *Paralyſi* adeſt τῆς κινήσεως ἀπώλεια, Gal. *de l. a. c. ult.* ut non poſſit fieri motus προαιρετικὸς. Ad Paralyſin referenda πάρεσις, ἡμιπληγία, ἡμιπληξία & ἡμιπληγία. Ita ἡμιπληγία, Gal. *3 pror. f. 26. 60.* dimidium corpus occupat, apoplexia totum. *Laſſitudo* labores inſequitur vehementes, ut & pravos humores peccantes. In *tremore* natura pugnat cum membro. Membrum tendit deorſum, natura ſurſum. In *Convulſione* nervi diſtenduntur. Totum enim corpus contra *Celſum* occupant ἐμπροσθότονος, ὀπισθότονος, τέτανος. Certas partes, os v.g. affligit κυνικὸς motus, mandibulas, τρισμὸς, oculos στραβισμὸς. *Tuſſis* vero, &c. à natura ipſa inſtituuntur, ſtimulatâ tamen & mota à cauſa morbificâ, tuſſim præcedit πτέρξις. *Sternutatio* levis eſt epilepſia, *oſcitatio* os, *pãdiculatio* totum corpus invadit pro vaporum majori minorive copia. *Horrore* & *rigore* vibramur quaſi & concutimur, *Gal. 10. M.M. c. 4. l. 2. de*

Sympt.

Symp. c. 6. ad quos textus *cap. 6. de tremore* componendum est. In ἀφωνία vocis *abolitio* fit, *imminutio* verò accidit, si nimis exilis, lenis, crassa, obscura; *depravatio*, si rauca, tremula, abrupta vox edatur. *Sermo* etiam multis deest, multis non nisi imminutus & corruptus competit, unde mala τραυλότης, φυλλότης, &c. *Veternus* autem Græcis benè dicitur ἀπὸ τῆς λήθης ἄργος *lethargus*, somnolenta enim adest omnium rerum oblivio, distinctum accidens à *Comate*, à quo ipso etiam distinguitur *Carus*, *Gal. 4. l. a. 2.* Carotici enim sentiunt nihil nisi obscurè & confusè. *Congelationem* Galeni Condiscipulus passus est, *2. pror. t. 56.* Ab amore factam recenset *Tulpius*. Apoplexia verò omnes animales actiones prosternit, solam respirationem interdum intactam relinquens, utpote actionem non animalem, uti colligere est ex pag. 57. *Cous* tamen parti privatæ quoque concedit, *7. aphor. 40.* Sed latè sumendo. De *Epilepsia* nota, quod plerum-

rumque corporis motus ita depravetur, ut correpti concidant, si *universalis* adsit. *Particulares* verò Epilepsiæ mitiores sunt. Quod ad *vertiginem* attinet δῖνος & ἴλιγγος dicitur, si res saltem circumrotari videatur, σκότωμα & σκοτόδινος, si oculi simul obfuscentur, afficiturque tam *sensus communis*, *quam phantasia*, non *oculus*, uti dictum pag 62. *Incubus* tandem ἐφιάλτης, ἐπιβολὴ, ὠνιγαλίων, ὠνίγαμον, ὠνίγμον, ἐνύπνιον, *respirationis* læsiones sunt, *in somnijs* à pravis humoribus oriundis, eos producendibus.

IV. Quoad *Vitalem Actionem*, spiritus vitalis *generatio* & *distributio* notantur, atq; horum gratiâ *pulsus*, & *animi perturbatio*. Inter symptomata autem morbosa hujus Actionis & facultatis vitalis, *Cordis* ipsius affectus *Syncope* dictus primas tenet. In *Syncope* enim ad sensum vitalis facultas abolita est. *Imminuta* verò in lipo-

lipothymia; depravata in κακηφυξία & aliis affectibus. His adde *pulsuum* p.n. differentias & *respirationis* læsiones, quales sunt ἄπνοια, δύσπνοια, ἆσθμα, ὀρθόπνοια.

Syncopes varii sunt gradus. In ἀσφυξία pulsus omninò cessat. Ἔκλυσις leve animi deliquium est, λειποθυμία & λειποψυχία majora sunt animi deliquia. In κακοφυξία Cor pulsat p.n. Actionem *respirandi* planè affert ἄπνοια. In dispnoea *imminuitur* respiratio; per asthma autem & ortopnæam *depravatur*.

V. Naturalis facultas, *nutrix* scil. & *auctrix* symptomata accipit respectu *abolitæ, imminutæ & depravatæ* facultatis *attractricis, retentricis, concoctricis, & expultricis. Gal.l.1. de nat. facult. c.5. l.3. de caus. sympt.*

Quod *Nutricem* attinet, patet idipsum, quoad *primam concoctionem in Ventriculo*. Læsis enim fibris rectis læditur

attra-

attractio, quæ *aboletur* & *diminuitur* malâ intemperie, malâ conformatione & solutâ unitate: *depravatur* in pica, canina appetentia. Si verò fibræ *obliquæ* & *transversæ* laborent, *Retentio* & *Expulsio* patiuntur, unde *Concoctionis* ratione ἀπεψία, βραδυπεψία & δυσπεψία oriuntur. *Expulsionem* verò impedit Ἐμπνευμάτωσις. Clarissimus Dn. *Bartholinus* negat fibras ventriculi inservire attractioni, retentioni & expulsioni. Modum nos supra exposuimus, pag 92. Quoad *Concoctionem secundam* & *tertiam* res eodem modo se habet. Gal. l. 3. de caus. sympt. 2. hinc ἄπεψια, κακοπεψία, & ad sensum tota abolita. Hinc ratione κακοπεψίας fit Anasarca, Oedema, Elephantiasis, Alphi, Icterus, Erysipelas, Ascites, Scabies. De *Auctrice* nota, quod ea *Nutritionem* præsupponat, & illius ratione lædatur. Impeditur autem insuper ab iis, quibus partes redduntur ad extensionem ineptæ, idque vel universaliter, vel particulariter. *Ita* videmus nasum, os, & alias partes corporis plus justo

sto augeri & majora fieri, quia scilicet in una parte calor major aut debilior. Ita sæpè totum corpus crescit, ut loco moveri non possit, instar *Nicomachi Smyrnæi*, cujus meminit *Galenus*.

VI. Genitalis facultas læditur, quoad *Conceptionem* & *Partum*. Conceptione enim & partu species per propagationem conservantur.

De ipsa *Conceptione* dictum est pag. 113. *Aristoteles* naturam semper velle marem olim scripsit. Eleganter hanc rem expedit *Bartolinus in vindic. Anatom.* Ipsa autem *Conceptio aboletur*, vel ob defectum seminis utriusque sexus, vel ob denegatam justam commistionem & retentionem. Si causæ leviores sint, cõceptio *imminuitur*. In irrito concepto, mola aut mõstro, *depravatur*. Ipsum *Partum* respicit abort⁹, & difficultas partus, cuj⁹ gratiâ invẽta ὑστεροτομία; quæ omnia satis accuratè exponit Patruus meus Magnus *Jacobus Horstius* in libr. de *M.* Mulier. ejusque filius *Henricus Adol-*

Adolphus Horstius in notis additis, Viri de Republica Medica meritissimi, νῦν ἐν ἁγίοις. *Adde* Sennertum, Herlicium & Roslinum.

Subjectio II.

DE SYMPTOMATIBUS QVALITATIS MUTATÆ.

I.

ALterum *Symptomatum* genus est *qualitatis mutatæ*, cùm scilicet *qualitates*, color, sonus, odor, sapor, & τὸ ἁπτόν mutantur illæsâ actione.

Galenus *de diff. sympt. cap. 5.* & ex hoc *Sennertus* contẽtus est qualitatibus quatuor, visum scil. olfactum, gustum & tactum spectantibus. *Parens* verò noster ob textum 63. *Arist. l. 2. an.* sonum quoque notat, potissimum cum & ipse *Galenus* citato loco symptomatum, quæ

in

in vocibus & sonis sunt, mentionem faciat.

II. Colores autem mutantur sæpè ratione *totius*, in Ictero, hepatitide, splenitide, hydrope, elephantiasi; ratione *partium* verò sæpè linguæ & dentibus accidit nigredo, livor cruribus, pilis canities, aut color ruffus, *pag. 12.*

De *Canitie* hic sermo est, quæ *præternaturaliter* & *juvenibus* sæpè accidit. Ita ob timorem superioris barbæ sinistram partem vicinus Molitor accepit canam, quâ de re vid. Scaliger. Schenkium & alios. Ad dentium colorem mutatum refer quoque *Unguium* colorem lividum & deformem sæpe.

III. Ita *auditûs* ratione vox mutata, & sonus insolens, borborigmii intestinorum, stridor dentium notantur; ratione *odoratus* halitus phthisicorum, ructus nidorosi hypochondriacorum; ratione

tione *gustus* amarities, salsedo, acrimonia; ratione *tactus* calor, frigus, durities, &c. accidunt.

Huc quoque trahi possunt *qualitates occultæ* ab *anidiasyncrasia* oriundi, de quâ pag. 123. Notandum quoque, *sensilia communia* in statum præternaturalem sæpe mutari, & ita mutata ad hanc mutatæ qualitatis symptomatum classem referenda esse; v.g. *ratione magnitudinis, numeri, situs*, nasi acumen, collapsus temporum, contractio aurium, dissectio crurum. Videantur & jungantur ea, quæ *Hippocr.* l.1. progn. exponit in *facie Hippocratica*.

Subsectio III.

De Symptomatibus Excretorum et Retentorum.

I.

Ultimum genus symptomatum *excreta* & *retenta* respicit,

cit, de quibus Galenus agit *c. 6. de diff. sympt.* Peccant verò excreta & retenta *substantiâ, quantitate & qualitate*: respiciuntque vel *partes*; vel *totum*, v. g. sanguis, contenta ventriculi & intestinorum, urina, sudor.

Ad *qualitatem* refer *modum* & *tempus*. Triplex autem causa est, ut *sanguis* fluat. ἀναστόμωσις, quando vasorum orificia aperiuntur; διαπήδησις quãdo sanguis transsudat; διαίρεσις quando vasa dividuntur, *Gal. 3. de caus. sympt. 2.* Notanter autem dixi, modum & tempus observandum esse, ne criticus fluxus sumatur pro symptomatico, *Gal. de cris. c. 11.* Raram & prolixam hæmorrhagiam vide apud *Turnheiserum*, & *Potier*. A vulnere contumaciorem, non vidi, eâ, quam Generosus Dn. Comes *Holzappelius*, in mihi satis funestâ & infaustâ *Marpurgensi obsidione* ab arteriâ carotidâ in facie per frusta Cranii militis truncati, ruptâ acceperat. Adhibita sunt *tam* à Nobilissimo Cæsaris Archiatro, Dn. *Rueffio* & me

quam

quam à Chirurgis Clarissimis, maximè nostro *Valentino Sandio* Experientissimo selecti sima quæque, sed omnia frustrà. Confugiendum tandem duximus ad ignitum ferrum. Sed quid fit? Dum operæ nos accingimus, Epilepsia superveniens sanguinem sistit, quam nullis medicamentis sistere poteramus. Ita Natura vincit atque superat artem. Funestam mihi dixi & infaustam obsidionem Marpurgensem. Laboratorium enim meum Chymicum non sine sumptibus exstructum, Bibliotheca mea selectis libris stipata, rara & charissima mea Cimelia hostium cesserunt. Doleo maximè duo mihi surrepta esse: *Humanum sceleton* vix digitum æquans; & *Solis* Sal verum, eo tempore Amici mei *Rappii*, (nunc Archiatri Moguntini Eximii) curâ adhibitâ arborescens. Sed fuit in fatis. *Ad* rem nostram propositam. *Ventriculi* contenta *vomitu* & *cholera* rejiciuntur. Ita in Ileo *alvus* supprimitur, in Colica astringitur. In Lienteria verò, cœliaca, diarrhæa, dysenteria,

teria, plus quàm decet, fluit. *Huc forsitan quadrat*, quod *Jobi* interiora efferbuerint absque ulla requie, *Job.30.* Ita Ischuria *urinam* supprimit, in stranguria verò & dysuria non debito modo & tempore urina prodit, in purulenta & cruenta mictione sanguis simul & pus excernitur. His adde mictum involuntarium, & diabetem. Ita *sudor* sæpe fit symptomaticus, in nostris v. gr. malignis febribus Citrinus, in nimio æstu sanguineus, in scorbuticis affectibus nonnunquam arenosus, de quo infrà. Ad sudorem trahi potest *exhalatio ignita*, de quâ *Ezechiel à Castro*, in *Igne lambente.*

II. *Excreta* & *Retenta*, quæ *partes* respiciunt, exserunt se per catarrhos gravedinem, lactis abundantiam aut defectum, seminis excreti diminutionem, & similia.

Ita Catarrhus respicit caput, si verò ad os fluat *destillatio*, si ad nares *coryza*, si ad

si ad fauces, *raucedo* dicitur. Ita *Vvulæ prolongationem*, *tonsillarum inflammationem*, & alia oriri inde videmus. Ita in puerperis sæpè *lactis* oritur abundantia, si sanguis aut lactescens humiditas & vapores à pancreate & ventriculo largiter & nimis ἀτρόως ad mammas ferantur. Non enim, me judice, tantùm ex sanguine (scripsi supra) fit lac, sed ex *Chylo* potissimum sanguinisque portione serosiore; unde videmus à potu largiori lac in lactescentibus augeri; quâ de re eleganter & doctè pro more differit Doctissimus Vir, Dn. *Conringius* in eleg. dissert. de lacte. Ita in imbecillitate membrorum spermaticorum seminis excretio sæpè diminuitur, uti in Gonorrhæa depravatur. Huc quoque trahi potest *pollutio nocturna*, à qua manuducente *Lucretio*, vestem cruentari non tam, quàm inficì putat *Gifanius* doctissimus.

ARTI-

Articul. II.

DE SEMEIOTICA.

EXpositâ *Morborum naturâ* consequens est, ut *signa* tradantur, & *signa* quidem *Insalubria* Medicis dicta, quorum *alia* sunt διαγνωστικὰ, *alia* προγνωστικὰ, *alia* ἀναμνηστικὰ, *Gal. l. artis c. 7.* In genere tamen prius notanda, quæ *ex Urina* & *Pulsibus* observanda veniunt, *Gal. 2. art. cur. ad Glauc.*

Signum nihil aliud est, quam conceptus quidam mentalis, quo ignotum quiddam ex noto in operatione Medica colligitur, unde σημεῖον & τεκμήριον differunt, *Gal. l. 1. de vict. rat. in acut. c 2. & 3. progn. 30.* *Salubria* autem signa statum salubrem, *Neutra* neutrum, *insalubria* insalubrem notant. De his hic agen-

dum, tum quatenus præsentem indicant statum, tum verò quoad tempus præteritum & futurum. Præmittemus interim *Pulsuum* & *Urinarum* doctrinam, cui appendicis loco addere libet signa quæ *ab alvi excrementis* & *cruore* Venæ incisæ desumi possunt.

II. Urinæ quidem inspectio *venarum* & *arteriarum* affectiones, adeoq; *naturam humorum* & *viscerum* earumque partium, *per quas* illabitur, patefacit, Gal. *l. 4. de T. S. c. 4. unde non negligenda* inculcante Hippocrate, *1. aph. 10.*

Necessarium & *utilem* esse *Urinæ inspectionem*, ex dictis patet. Non enim illos sequi possumus, qui urinæ inspectionem omninò rejiciunt & damnant. Damnamus interim Medicos illos divinatores, qui solo lotio inspecto multa vaticinantur, quæ omni rationi, experientiæ & eventui contrariantur. Urina quandoque inspicienda, fateor. Sed & æger ipse invisendus, ejusque status & con-

conditio penitius discenda, cum non omnem ægri ægritudinem lotium significare possit. Dantur tamen, qui gloriantur ex inspecta urina omnia se scire posse! Ast Uroscope!

Cur lotium absque conspicillo judicas,
Et nummulos per conspicillum noscitas?
An cura major tibi est pecuniæ,
Quam, qua salus ope languido reddi queat,
Fidei tuæ vitam suam qui credidit?

Ita queritur *Otium* Marpurgense *Pinciers*, Viri Clarissimi, qui pulcherrimam historiam affert, *in parerg. de Urosc. & posthum.* Referri huc potest Sculptile Morionis Idolum, de quo *Langius*. Rem ipsam satis nervosè, accuratè & ad salivam exponit Doctissimus *Panarolus*, obs. med. *pag. 120.*

III. Circa ipsam autem *Urinæ inspectionem* notandum, ut Urina peractâ cibi concoctione ordina-

riè manè statim à somno excipiatur,& vasculo quidem vitreo. Noctu enim concoctio, naturæ ordine,melior. Deinde Medicus oblongo utatur urinali, urinamque ab externo aëre conturbatam balneo moderati caloris in statum reducat pristinum; ad tria verò potissimum respiciat, ad *substantiam, qualitatem, contenta*, Gal.4.*de T. S.* 4. quibus adde *quantitatem* & *pondus*.

In Urina itaq; notanda; *Substantia, quantitas,pondus,qualitas,contentum*.Ex his enim desumi possunt signa morborum. Urina v.g.paucior debilitatam attractricem sæpè monstrat & retētricem facultatem Ita flava bilem arguit,cādida oleosa magnā cruditatem. Sic si pinguedo iñatet,colligim⁹ calorem æstuantem,adesse,qui adipem colliquet. Quid verò sentiendū de illa urinæ inspectione *Geomantica*,quam Pansophos ille *Fluddus* docet? Me judice indigna est illa homi-

homini Christiano. Quid enim astris, aut animæ mundi, aut *Fluddanis* spiritibus, aut scutum erigenti commune esse potest cum homine urinam pro libitu hanc vel aliam ferente aut mittente, & ipso in consilium & auxilium vocato Medico? Miror labores *Fluddi*, doleo autem malè mixta bonis esse. De *Turnheiseri* verò Urinæ destillatione idem ferè esto judicium. Quæ enim insania uno eodemq; igne cogere urinam ad illam vel aliam vitri pro *Turnheiseri* illius lubitu Microcosmicè priùs destincti plagam ascendere, quæ partem affectam scil. monstret, ad cujus rei forsan imitationem, phiolâ, quâ tempestatum mutationes piscamur, temperamenta & morbos inquiri ait *Fluddus*. *Paracelsus* Billichio (à quo, ejusq; Magistro *Angelo Sala*, in Chymicis Doctore meo, multa didici) fuit *Thessalus*, mihi certè *Turnheiserus* iste. *Gravitatem* verò aut *levitatem* destillando rimari, me judice non nocebit. Per *pondus* enim Urinas examinare, non inconsul-

tum, nec incongruum, sed tutum *Helmontio* videtur. Γλώσσα verò ἔρου σημαίνει *Hippocr.* quid notat? An ex lingua judicium sumendum de Urina? Non. *Hippocrates* vult linguam præsignificare, quales sint humores in corpore, vide quæ exponat hâc de re Cl. *Salmas.* p 25. Cum quo confer *Linguam*, quâ maximum morborum acutorum signum, *Prothi Casulani Senensis.*

IV. Substantiam urinarum quod attinet, dispiciendum est, an urina *crassa* sit, an *tenuis*, an *mediocris*? De urinis *crassis* vide *Galenum l. 1. de cris. c. 12. Hippocr. 4. aphor. 70.* Et *crassæ* verò & *tenues* coctionem imbecillem significant, notante *Galeno* l. c. *Mediocris* verò sana corpora indicat & temperata, juxta *Gal.* l. c. & *2. prognos. 20.*

Crassæ urinæ affinis est *turbida. Turbidam* verò & *crassam* non distinguit

Val-

Vallesius. Plerumque autem *crassa* urina, loquor verbis *Parentis pag. 156.* est, aut fit turbida. Benè interim *Plempius* Vallesium, qui eas omninò non distinguit, refutat glutine piscium ex *Avicenna*, ovique albumine; quod olim jam inculcavit *Joël, pag. 181. Galeni* autem loco *1. de crisi. 12.* applicandus *textus 5 3. epid. com. 3. t. 72.* & *Hippocrat. 3. Epid. com. 3. t. 72.* Turbidas autem urinas *Plempius* & *Sennertus* appositè distinguunt ex *Montano* in turbatas, aut turbulentas, turbidas & confusas. *Turbata* clara quidem mingitur, sed postea turbatur, estque densa & obscura, indicatq; cruditatem, cujus filia. Diebus verò criticis per turbatas urinas natura sæpe morbum solvit. *Turbida* autem urina pejor est. In initio enim morborum signat notabilem agitationem humorum; si verò clara fiat, inæqualis illa agitatio & perturbatio cessat. *Confusa* verò turbida manet semper, ob copiam humorum calorem nativum opprimẽtium, malignitatem, & virium lapsum enormem. Et *crassæ* autem & *tenues* u-

rinæ cruditatem indicant, *hæ* quidem potissimum ob imbecillitatem caloris, atonias viscerum & tales obstructiones, ob quas via crassiori materiæ intercludatur; *illæ* verò ob redundantes humores crassos ita redditæ: uti è contra ab exacta & debita coctione resultat *mediocris*, sanorum scilicet urina. *Oleaginosa* verò urina, quæ ad crassas spectat, quandoque nullum detrimentum ægro affert sæpius enim prodit cum commodo in morbi concoctione, notante *Gal. l. 3. epid. sect. 3. com 72. & com 74.* in historia Pythionis, oritur autem urina talis à variâ humorum excrementitiorum admistione, uti ad exemplum *Galeni* innuit *Argenterius*, ex hoc *Sennertus* & *Plempius* contra *Sabinum*, *Actuarium*, *Aëtium*, *Saponium*, *Fernelium*, *Reusnerum*.

V. Substantiâ Urinarum consideratâ, *odor* & *color* notandus. *Illius* ratione urina caret odore quandoque, sæpius moderatè olet.

let, interdum fœtida est, aliquando suaveolens. Colorum ratione urina sanorum *aurea* est, plerumque *subaurea* & *citrina*, cum in ea æqualis adsit mixtura & debita proportio, *Gal. 2. prop. 20.*

Odorem quod spectet, Urina *suaveolet* ab assumptis caryoph. rad. angel. terebinth. moscho, ol. succini. Ita urina *fœtet* ab aniso, carduo, asparago, allio, caseo. Fœtet quoque ab ulceribus, humoribus putridis, partibusq; putrescentibus. *E contra* urina nil olet, si calor nimis debilis sit & coctio nulla; *mediocriter verò olens* exactam probat sanitatem. Illustris *Frigimelica* Patavinus Professor, pro lectione aliquando narravit, *Bononiæ* vixisse Medicum cœcum, qui ex solo odore de urinis feliciter judicarit. *Colores* urinarum quod attinet, sunt ii quatuor, *albus*, *niger*, *flavus*, *ruber*; omnes & singuli ab humoribus, eorumque varia mixtione aut absentia oriundi. *Albæ urinæ* tres causas *Galenus* &

Hippocr. dictât, caloris imbecillitatem, obstructionem, humorisque tingentis ablationem, *Gal. 2. progn. cap 32. Hipp. 4. aphor. 72.* Ad albas urinas refer quoq; *lacteam, glaucam.* Si major bilis adsit copia, urina *flava* fit, cui adde *palearem, spiceam* & *croceam.* Si bilis illa assetur, accedatve sanguis *rubra* fit. Urina verò *nigra* caloris exustionem sæpè notat, ipsamque mortem, uti expertus *Erasmus*, & mulier apud frigidam aquam in Thaso, *3 epid. s. 3. ægr 2.* Interdum tamen oritur à motu critico, *1. epid. ægrot. 7.* in Methone; interdum à medicamento; uti expertus *Actuarius* in servo, & ego ante decennium in Pro-Principe *Ptesio.* Suppetias fert aphorismus *Hippocr. 47 sect. 4.* cum quo confer *Thomam à Vega, Amatum Lusitanum, Valeriolam, Hollerium, Cratonem,* & *alios.* Ad *nigras* autem urinas refer *prasseam, viridem, lividam, cæruleam* seu *venetam*, inter quas, *Galeno* judice, *viridis* principium nigri coloris est.

VI. Præter *substantiam, odorem* & *co-*

& *colorem*, notantur urinarum *quantitas*, *pondus* & *contenta*. Ratione *quantitatis* urina vel pauca, vel copiosa redditur: ratione *ponderis* levior aut gravior: Ratione *contentorum* urinæ variant, quatenus vel in *suprema*, vel in *media*, vel *infima* regione *generalia* aut *specialia* urinarum contenta variant.

De *Pondere* Urinarum agit *Helmontius*. Necessitatem hujus rei relinquo Authori. *Contenta* verò generalia dicuntur in *suprema* regione *nubecula*, in *media* enæorema, in *infima* hypostasis, *Gal.4.de T.S.4.* Variantque hæc ipsa contenta ratione substantiæ, coloris, æqualitatis & levitatis. Ob nimiam autem cruditatem aut corruptionem quãdoque urina contentis penitus caret; uti ex eodem fundamento *vinum rubrum* nõ alteratum æger *Verbezij* urinæ loco emisit; *Petroselinum* verò incisum in jusculo sumptum, cum urina conten-

tis destituta, *immutatum* rusticus Georg. *Moltheri* Wetzflarienſis, Medici longè Experientiſſimi, rejecit, morti uterque vicinus. Dum ſcribo de *Petroſelino*, memoriam excito ad *Cichorium*, quod à mamma lactantis prodiiſſe ſcribit *Martianus* per ductº lactiferos. Si *Cichorium* aſſumptum ita prodiit, cur non Ariſtotelis *7.hiſt.anim.c.11.* & Alſaharavii *tract. 14.pract.c.2.* pili ad mammas abire poterunt? Quid ſi verò per incantationem uti vitrum *Schlanhoſius*, & ſcopas ex oculis *Parens* notat, p. 415. (Ita l. Eiſenmenger vidit *puerum* muſcas, pulices, dentes ovillos, ſevum, nummos, & alia mingentem. *Contenta verò ſpecialia* Urinæ variæ ſunt, *farinæ, ſquamæ, furfures, grumi ſanguinis, arenulæ, calculi, caruncula, pus, fila, pili, bullæ, ſpumæ, coronæ, pinguedo, ſperma.* Ita anxietatem & malignitatem in febribus indicat *corona ex virore punicea.* Ita in *Gonorrhæa* cum lotio prodit *Semen*, in colliquatione *pinguedo.* Crudorum verò ſuccorum abundantia, flatuumque copia colligitur,

tur, si *spnmæ* & *bullæ* firmiter durent, *Hipp.7. aph.34.* Ita *pili* sæpè generantur à causa siccante & torrefaciente, de quâ re vide *Zacutium*, pag.1145. Nota villas, manuducente Nobilissimo Viro Dn. *Franc. Denisel*, Archiatro Trevirensi dignissimo, in Hypochondriaco. *Filamenta* Venereos plerumque monstrant, pus exulcerationem aut inflammationem; *Caruncula* substantiæ renum exulceratæ particulæ dicuntur *Galeno*. Ubi cum dolore *arenulæ* minguntur, calculum quandoq; minantur renum aut vesicæ. Sæpè tamen non minantur calculum, maximè si dolor absit, si scilicet illæ arenulæ in venis & ipso sanguine generentur, quod familiare *scorbuticis*, quorum sæpè sanguis adeò abundat arenulis, ut non tantum copiosè prodeant cum urinis, sed & post sudorem cuti in vola manuum & aliis partibus se insinuent, uti nuper vidi in *Illustrissima Matrona*, cujus sæpè mammarum & manuum cutis ita arenulis obducebatur, ut digitorum apprehendentium ve-

stigia relinquerat, quâ de re pulchrè disserit sub umbone Magni *Rolfinccij*, *M. Laur. Blumentrost*, in doctiss. dissertat. de Scorbut. thes. 20. De generatione arenularum confer *Helmont.* & *Salmas.* doctiss. *Sanguis* verò aut *grumi sanguinis* decedunt vel à toto ob aperta vasa, *Hippoc. 4. aph. 78.* vel à calculo aut ex ulcere, *4. aph. 75.* Ita à crudorum succorum exustione *farinacea* fit urina, *squamosa* verò & *furfuracea*, si membranosæ partes in superficie cariem quasi patiantur, *Gal. 1. de cris. c. 12. l. 2. progn. cap. 28.* In sanis igitur Urinæ *contentum* optimum est, quod subsidet colore album, consistentia mediocre, æquale ac levè, magnitudine nec excedens nec deficiens, pyramidali figura constans; *Quantitas* optima est, si urina potus proportioni respondeat, secus fit in *diabete*, affectu periculosissimo, qui ad statum pervenit sæpè, antequam cognoscatur, teste *Holzemio*, Viro longè Clarissimo, Professore & Practico Excellentissimo, Col. νῦν ὃν ἁγίοις. *Montanus* bis saltem notavit.

Ego

Ego quoque bis in praxi mea vicennali. *Color* & *Odor*, si subaurea sit, & mediocriter olens; *Substantia*, si urina mingatur, mediocris; *Pondus*, si *superet aquæ pluviæ* pondus urina in virili ætate 80. circiter granis. Fallax aliàs urinarum judicium, quod in genere supra tetigi, *quoad Prægnantiam* appositè exponit Diterici *patreum Hippocr.* p. 62. Sequitur *Pulsuum* doctrina.

VII. Visâ *Urina* ad *Pulsus* tactum, & inde derivanda præsagia accedendum est, ut facultatis scil. robur ac debilitatem maximè discamus, *Gal. l. de cur. per V. S. c. 5.* idque ex pulsuum *differentiis & causis*, manuducente *Galen. l. 1. de dign. puls. c. 1.*

Quid *pulsus* sit, dictum est sæpius superius. Quomodo autem *cordis motum* tactus *Musicus* graphicè depingat, ac manus Musici elevatio & depressio cum cordis systole ac diastole maximè correspondeat, quantam inquam analogiam

giam *Musica* habeat cum *Pulsu*, id omnium optimè exponit Monochordon Amici nostri Doctissimi *Hafenrefferi*. Ante hunc hanc rem allegatus ab ipso *Fluddus* executus est, cui viam monstrasse videtur *Joël. l. 4. sect. 2.* σφυγμὸς autem Pulsus ut rectè inquiratur & cognoscatur, manus inquirentis mollis sit & ex exquisiti sensus, æger verò liber ab affectibus, Medico exploranti manum situ naturali porrigẽs. Magnum autem pulsum comprimendo, tardum palpando judicabit, quâ de re *Gal. l. 3. de dign. puls. c. 2. l. 2. de dign. puls. c. 1. l. 1. de dign. puls. 5.* vid. *Gentil. Fulgin.* in commentar. Carm. Ægid. *Sennert.* & alios. *Chinenses* Medici, teste *P. M. Martin.* in novo Atlante Sinensi, per semihoram pulsum ægroti tangunt, triplicemque statuunt, cordis, ventriculi, hepatis. *Elegantem* alias præ cæteris discursum emisit de motus proport. *Jo. Marcus Marci*, Amicus meus honorat. qui propos. 41. probl. 2. regulam construit ad celeritatem atque tarditatem pulsuum absque errore metiendam;

dam ; Vir apprimè doctus & Excellens. Quoad numerum pulsationum spacio unius horæ observavit is 4850. in *probl. parerg. de horol.* Excell. *Rolfincc.* in proprio carpo 4420. *Plempius* 5256. *Ego* 4410. ad quarum numerum inferre quis posset, in hora sic per cor transire sanguinis libras 7. uncias 7. drachmas 7. si qualibet pulsatione arteria scrupulum semis accipiat.

VIII. Differentiæ Pulsuum *absolutæ*, sumuntur à *spatio motus*, Gal. l. de puls. ad tyr. c. 2. l. 1. diff. puls. 7. *tempore*, c. 3. l. c. *quiete intermedia*, c. 4. l. c. *facultate moriente*, 1. de diff. puls. 6. & *ipso mobili*, 1. d. d. puls. 3. *Respectiva* verò æqualitatem & inæqualitatem, ordinem & proportionem spectant.

Respectu itaque differentiarum absolutarum, *Decem* erunt pulsus : Magnus, parvus, Celer, tardus ; Creber, rarus ;

rus: Vehemẽs, debilis: Mollis, durus: Ex his autem oriũtur *Compositi* magn⁹, moderatus, v.g. subceler, &c. Quoad *respectivas Inæqualitas* in uno pulsu, & in una arteriæ parte parit Interciſum, Caprizãtem, Dicrotum; in diverſis verò partibus Serratum, Vibrantem, Convulſivum, Undoſum, Vermiculantem, Formicantem; in pluribus verò pulſibus Myurum utrumque: *Ordo* verò ordinatum & inordinatum; *Rythmus* autem Eurhytmum & Arhytmum triplicem.

IX. Ipſe autem *Pulſus* fit ab Efficiente, *Gal. 1. de cauſ. pulſ. cap. 3.* inſtrumento Arteria ſcilicet & uſu, à quo reſultat impellens. *Ipſum* interim pulſum alterant, & variè ſæpè mutant *Res naturales*, *Res non naturales* dictæ, & *ipſæ Res præter naturam*, *Gal. l. cit. cap. 1.*

Pulſum fieri à facultate vitali ſuperius dictum, ut calor temperetur, ſpiritus generentur & diſtribuantur, ſuperfluiq; fuligines expellantur. Quoad *res verò*

natu-

naturales Pulsus sæpè variat ætatibus, sexu & temperamentis. Quoad *non naturales*, pulsum sæpè mutat aër, cibus & potus, inanitio & repletio, somnus & vigilia, atque animi pathemata. Quoad *res* verò *contra naturam* ipsi Morbi, eorumque causæ & symptomata ipsos pulsus sæpè mutant & alterant, de quibus fusius *Galenus* & alii.

X. Hinc Magnus Pulsus *bonus*, Parvus *malus* est. Celer *febres* indicat, Tardus contra. Creber â *facultate debili* oriundus, periculum minatur; Durus & languidus simul *syncopen*; Vehemens & fortis è contra bonum eventum promittit.

Quoad has & alias pulsuum prædictiones & præsagia maximè notandum est, quod supra jam tetigi, à causis scil. naturalibus, non naturalibus & præternaturalibus pulsus sæpè immutari & alterari. Ita v. gr. accidit non rarò pulsus Amatorius; quâ in re immeritò carpit

Gale-

Galenum *Claramontius*; ita in timore, inque aliis commotionibus pulſus ſæpè mutatur, ad cujus mutationem aliter atque aliter inſtituenda eſt prædictio, uti *Sennertus* diligenter tradit, ipſeque *Joël* & alii prolixè exponunt, quæ Medicus prudens redigat in βραχυλογίαν doctrinæ pulſuum convenientem maximè. Præter hæc ipſa verò præſagia Medicus ſæpè fugit ad *Alvi excrementa*, & *ſanguinem* per Venæ inciſionem emiſſum.

XI. Conſideranda autem ſunt in *Cruore* per V. S. emiſſo, *ſubſtantia, color, odor, ſapor* & *contenta*. In excrementis verò alvi præter *ſubſtantiam, conſiſtentiam, colorem, odorem* & *contenta*; *quantitas* & *temporis excretionis intervallum* notanda ſunt.

Ita ſanguinis emiſſi & concreti ſubſtantia *torrida* & *ſicca*, p. n. calorem & ſiccitatem indicat: *craſſa, lenta, tenax*, obſtructiones & putredinem; *tenuis* & *diluta* corruptos humores & fibras; ita

rubi-

rubicundus color ſanguinis boni index eſt, *citrinus*, *albicans*, *lividus*, *niger*, *variegatus*, bilioſum, pituitoſum, melancholicum ſanguinem, aut humorum concurſum indicat. Ita *ſanguis bonus* inodorus eſt, fœtens verò *corruptus*; niſi fœtor prodeat ab aſſumptis. Et ſanguis inſtar lactis *Hipp.6. epid.ſ5. t.34.* ſequitur naturam aſſumptorum! Hinc *Alexander* odorem toto corpore exhalabat ſuaviſſimum, quod hodiè adhuc *Indis Regibus* à frequentis *Bethelis* & *Cachundi* (cujus deſcriptionem vide in *Zacut. pag.290.*) uſu accidit. Ita Cambajæ Reges *Guzarati* à continuo venenorum uſu nil niſi venena ſpirant (utut contrarius ſit *Grevinus* de venenis.) ut è contra *Ponti Rex Mithridates* totus factus erat Bezoar. Hinc in hunc finem Doctiſſ. *Panarolus* Arcan. faſcil. 1. pag. 211. ſuadet Theriacam quotidiè grani unius pondere aſſumendam. Ita natura & ſanguis ſæpè ſequitur aſſumpta & alimenta, niſi ſcilicet toto genere ſint præter & contra naturam, uti fieri vix poteſt, ut

inter-

internus piscium ignis aëre conservetur, aut animalium terrestrium ignis aquâ. Quoad venena putat *I. B. Theodosius*, illa v. gr. arsenicum tempore pectus cordi admoveri, & paulatim venenis assuetum non tam facilè inficiatur. *Sapor* autem Cruoris emissi, ut ad rem redeamus, *dulcis* salubrem sanguinem, *amarus* biliosum, *acidus* melancholicum, *insipidus* pituitosum, *salsus* serosum innuit. Si verò nimium succedat *serum*, jecur infirmum erit renesq; debiles. Ita *spuma*, *bullæ* incendium & flatus spuriosque spiritus notant, *arenulæ* verò lepram, morbum Gallicum & similia, *pinguedo* autem in macilentis colliquationem & marcorem indicant. Quod ad *alvi excrementa* attinet, sunt ea *dura*, mollia, sicca, liquida: *cohærentia*, divulsa, uniformia: *Pauca*, multa: *alba*, nigra, rubra, viridia, livida: *insolitè* fœtida: *frequentia*, rara: *saniosa*, purulenta, sanguinea, spumosa, pinguia, vermibus, ramentis, &c. plena. Nobilis Hypochondriacus Dilleburgi ante decennium

nium postusum acidularum dejecit excrementa intestinum repræsentantia. Ita ante sex menses miles præsidiarius spurium tale intestinum tres spithamas longum dejecit. An hoc modo *Iob* viscera in terram effudit *cap.16.* & *Ieremias* jecur, *Thren.2. Ioram* autem vera interanea exiisse, *2.Paralip.21.* putant Doctores. Cur verò jam morituris sæpè effluant fæces? exponit *Perlinus* pag.51. ex *Hippocr.l.3. de Morbis.* Sequuntur *signa insalubria diagnostica*, scil. *prognostica* & *anamnostica.*

Punctum I.

De

SIGNIS DIAGNOSTICIS.

Diagnostica signa præsentem statum indicant, & respiciunt vel *partem ipsam affectam*, vel *ipsum morbum*, vel *morbi causam*, *Gal.1.l.a.cap.1.* Signa autem partis

tis affectæ resultant ab actione læsa, *excretis, situ, doloris proprietate, propriisq; accidentibus.*

Inter signa partis affectæ *primum* est, quod *actio læsa* suppeditat, cum nulla actio lædi possit, nisi pars illa patiatur, hinc *Galenus* unico hoc signo sæpè contentus fuit. *Actio* scil. *vitalis* si lædatur, afficiuntur viscera vitalia, si *animalis* animalia, si *naturalis* naturalia, si *genitalis* genitalia. *Alterum* signum oriundum est ab *excretis*. Ramenta scil. in in alvi profluvio exulcerationem intestinorum indicant, caro spongiosa in tussi pulmonum. Ita stercus per vulnus abdominis excretum intestina vulnerata probat. *Tertium* signum *à situ* est. Dolor in dextro hypochondrio epar laborare, in siniſtro lienem monstrat, *Galen. l. 1. de loc. aff. c. 5.* *Quartum* signum *dolor* dat. Pungitivus membranam, gravativus parenchyma, pulsans arterias laborare innuit. *Propria* denique *accidentia* faciunt, ut ex angore Cor, ex nausea ventriculum laborare sciamus.

No-

Notandum autem sæpissimè his signis inservire *temperamentum*, *sexum*, *consuetudinem*, *parentum constitutionem*, *ætatem*, *juvantia & lædentia*, *analogiam*, & *alia ægrotantis accidentia*, unde necessarium est, ut medicus ante omnia ægri temperamentum & alia supra jam dicta prius probè examinet. Interest præterea maximoperè, ut scias *an pars primariò afficiatur*, an *per consensum?* ideoque sedulò inquire, an pars affecta proprio vitio laboret, & permanentem dispositionem obtineat; An verò patiatur cum alia vel quod debitum non transmittatur, vel quod non debitum transmittatur, inculcante *Gal. l.3. de loc. aff. c.8.* Confer *Sennertum* & exemplum Galeni à Sennerto *pag. 627.* allegatum. Quomodo verò differant τὰ διαγνωστικὰ ἀπὸ τῶν παθογνωμονικῶν erudite erudit *Hofmannum Lindenus.*

II. Signa *morbi* sumuntur à symptomatibus, seu accidentibus propriis, excretis, loci natu-

ra & doloris proprietate, *Gal. l. 1. de loc. a. c. 5.* Signa verò *causæ morbificæ*, quæ maximè etiam præcognosci debent, *Gal. l. 5. de plac. c. 4.* respiciunt internam causam antecedentem remotam & proximam, suntque quandoque *signa tantùm*, quandoque *signa* & *causæ simul.*

Ut ad *Morbi speciem* felici pede veniamus, symptomata seu accidentia propria, excreta item, loci naturam & doloris proprietatem investigemus, & penitius consideremus, necesse est. Symptomata enim propria pro morborum notis habentur, *Gal. de const. art. c. 15.* Ita dolor lateris pungens, febris acuta, læsa respiratio, tussis *pleurisin*: Febris hectica, corporis extenuatio, sputum purulentum & fœtidum *Phthisin*: Linguæ nigredo, sitis, calor *febrim* indicant. Quoad *excreta* fluxus cruentus instar loturæ carnis *epaticum* nunciat: Cibus crudus dejectus *lienteriam*. *Loci*

ratio-

ratione epilepsia cerebro, nausea ventriculo accidit. Ita *Pulsatilis dolor* inflammationem minatur. Præter *Morbi speciem* ejus notanda *tempora*. Quod verò signa *causæ morbificæ* attinet, notandum cõmunissimas causas morbificas, quarum signa quæruntur, esse *Plethoram* & *Cacochymiam*. *Plethoram* duplicem diximus pag.155. *quoad vasa*, & *quoad vires*. Si corporis gravitas adsit pulsus inæqualis fiat & imbecillis, somnus gravis & turbatus sequatur, & tensio venarum sentiatur, plethora aderit *quoad vires*. Si verò venæ insuper turgeant, pulsus magnus & plenus sit, urina copiosa, spontanea lassitudo tensiva, rubor faciei accidat, plethora erit *quoad vasa*. Sæpè tamen, ut Galeni mentem repetam, altera alteri dat manum. Quoad *Cacochymiam*, biliosam dant bilis signa; pituitosam pituitæ; melancholicam melancholiæ indicia. Ita quoque *serum, tartarum, flatus*, quatenꝰ sæpè causarum morbificarum rationem obtinent, *p.156.* signa quoque suppeditant.

PUNCTUM II.

DE SIGNIS PROGNOSTICIS.

I.

UT futuras διαθέσεις prænoscamus, *an* scil. *morbus ad salutem vel mortem terminari debeat, quo tempore morbi solutio expectanda, & quinam salutis aut mortis modus futurus sit*; ante omnia *Morbus* & *laborans* probè considerari debent, *Gal. l. de constit. c. 18. l. 2. progn. c. 6. l. 4. de præs. ex puls. cap. 11.*

Quoad *Morbum* species Morbi, magnitudo, mos, motus & eventus notentur. *Speciem* dant signa diagnostica. *Magnitudo Gal. 7. M. M. 12.* duplex est, una ratione esse proprii, altera ratione loci & virium. *Mos* Morbi respicit benigni-

nignitatem aut malignitatem ; *Motus* verò ipsa Morbi tempora ; *Eventus* denique præter dicta ipsum subjectum laborans. *Laborans* verò triplicia signa suppeditat, à functionibus scil. excretis, & ipso corpore desumpta, *Gal. lib. 1. de cris. cap. 14.* Quoad Excreta & functiones, *Animalis* à sensus & motus læsionibus, *Vitalis* à pulsu & respiratione, *Naturalis* à cruditatibus (observandus sudor, *Hippoc. 1. progn. 26.* Urina, *Gal. 1. de cris. 7.* Alvi dejectio, *cap. 11.* Vomitus, *Hipp. 2. progn. aphor. 38.* Sputum, *aph 45.* & cerebri excrementa,) *Genitalis* ab impotentia prognostica dat. Ipsum verò corpus ægrotantis signa prodit, ratione vultus, decubitus, coloris, figuræ, situs, &c. de quibus *Hipp. l. 1. prognost. aphor. 5. ad 24. usque.* Cautiones prædictionum exponit *Santorelius.*

II. His consideratis, ut discamus, *an ægri salus vel mors expectanda*, dispiciendum est, *an* morbus suâ naturâ lethalis, an verò

maxima ex parte incurabilis, an saltem periculosus, aut periculo vacans: *Deinde* notanda morbi magnitudo, motus, mores; & *tandem* ægri ipsius vires.

Ita Medicus ex signis bonis vel malis prævalentibus naturæ aut morbi victoriam poterit prædicere. Si sint æqualia, prognosticon differendum, donec unum vincat. Ita vulnus cordis lethale, gravis epilepsia maxima ex parte incurabilis, dysenteria periculosa, diaria salutaris est. Ita sæpè dysenteria lethalis fit ob magnitudinem, motū & malos mores, si maximè ægri vires non sufficiant coctioni; Morbi enim lethales, si vires fortes sint, sæpè saltem periculosi fiunt, periculosi verò, si vires debiles sint, fiunt lethales.

III. Ex dictis autem Medicus facilè judicabit, an morbus aptus notus sit solvi λύσει vel κρίσει. Per *solutionem* Morbus paulatim tendit

dit ad ſalutem aut mortem. Per *Criſin* ſubitò, diebusq; bonis criticis ad ſalutem, malis ad mortem. Ita tractari debent ſigna *prognoſtica* & *diagnoſtica*, ubi nota *pathognomonicum* dici, quod non ſeparari poteſt à Morbo; Quod *Anamneſtica* attinet, ea per ſe patent, uti cicatrix teſtatur de vulnere facto.

Dies boni *critici* ſtatuuntur 3. 4. 5. 7. 9. 11. 14. 17. 18. 21. Mali 6. 8. 10. 12. 13. & alii. Diebus autem bonis criticis materia peccans *evacuatur* ſæpè vomitu, v. g. ſudore &c. ſæpè aliò *transfertur*, unde febris alios morbos quandoque ſolvit. Ratio autem *Criſeos* dependet à Natura, quæ ordinatis & ſtatis temporibus agit, *Gal. 3. criſ. 10.* Humores morbificos caſtigat, coquit & expellit motu quidem vario, pro varietate ſcil. humoris, temperamenti, ſexûs, regionis. Non itaque aliunde extrinſecus eſt quærenda criſis ratio à cœlo vel diebus? Imò verò

quærenda! Natura enim agit ipsis influxibus cœlestibus agitata, unde non rarò sextus fit criticus, ut & octavus, *Hippocr. epid.4. t.11.* circa Pleiadum scilicet occasum. Ita & alii sæpè fiunt boni, pro varietate scilicet naturæ, ægri & morbi. Natura enim quasi actor est, virtus ægroti reus, humores & ipse morbus causa materialis. Judicio enim forensi non incommodè *Crisin* comparari olim jam monuit *Patrus meus Magnus* Jacobus Horstius *pag.431. disp.Cathol.16.thesi 16.* Cum verò ad Astrorum influxum & nutum Natura agat, & virtus ægri respondeat, ipsaque morbi qualitas ab astris facilè & ita innotescat, ut non opus quarto indice, ex ipsis astris primo limine ipsius Morbi qualitas discenda. Inspiciendus hic ægri *Apheta*, ejusque constitutio, robur, debilitas, aspectus cum Saturno & Marte, Jove & Venere. Inspiciendus *Anæreta*, inspiciendi inquam *occursores mali, abscissores*, corpora scilicet, oppositiones & quadraturæ Saturni & Martis, eorundemque Antiscia,

